


PALAESTRA LATINA



ANN. XXVI (Fasc. III) – N. 155
M. SEPTEMBRI A. MCMLVI

Superioris fasciculi errata corrige:

p. 67, n. 18. *pro boni* – *bonis*.

p. 71, n. 179. *pro bonis* – *bonis*.
www.culturaclasica.com

p. 72, n. 121. *pro II, 2, 7* – *II, 12, 7*.

PALAESTRA LATINA

Trimestres litterarum Latinarum commentarii **BARCINONE** edendi

Commentariorum pretium: in Hispania, 38 ptarum.; in America, 43; in reliq. civ., 55 ptarum.

Pretium PALAESTRAE ADULESCENTIUM: 15 ptarum.; Extra Hispaniam et Americam, 20 ptarum.

Pretium mittatur oportet ad **ADMINISTRATOREM**: Lauria, 5, Apartado 1042 - **BARCELONA**

Scripta ad Moderatorem: Conde, 2 - **BARBASTRO (Huesca)**

Editur Ordinarii et Superiorum permissu

I N D E X

ANN. XXVI (Fasc. III) N. 155

M. SEPTEMBRI A. MCMLVI

A. AVENARIUS, <i>De Jacobo Balde, S. J. Poëta</i>	129
L. M. SANSEGUNDO, <i>De Justitia Sociali veterum philosophorum sententiae.</i>	135
A. GUERCIO, <i>Itur ad astra</i>	140
J. M.º MIR, <i>Interpretatio Latina «Magistri Perezii». Magister Pereziius, organi moderator: «Maese Pérez, el organista»</i>	148
AE. ORTH, <i>De Cornelio Nepote</i>	157
I. GONZÁLEZ, <i>Nova et Vetera: Geometria</i>	162
J. MORABITO, <i>De se ipse - Ad Italiam</i>	166
J. M. MIR, <i>In Officio nostro</i>	167
J. SIDERA, <i>Per Orbem</i>	174
J. SIDERA, <i>Collectanea</i>	176
<i>Sociis et alumnis responsa dantur</i>	178
BIBLIOGRAPHIA, Mir, González, Sebastián, Jiménez, Molina	179
PALAESTRA ADULESCENTIUM:	
PAEDAGOGUS, <i>Visne Latine scire? - Lege</i>	185
L. VIVES, <i>De vitae somnio fabula</i>	186
QUEVEDO, BARBARIN, GOMEZ, <i>Ad Joannem - Felix somnium - Martinus et amicus</i>	187
URBIOLA, FORCANO, MAESTRO, <i>Alumnorum scriptiones</i>	188
<i>Paedagogus: Miscentes utile dulci</i>	190
DOLD, LATKOVSKI, PERNA, <i>Aenigmata.</i>	191
MARIMON, PEREZ, CABANI, GARRIDO, <i>Curiosa et iocosa</i>	192

PALAESTRA LATINA

LITTERARUM LATINARUM COMMENTARII

ANN. XXVI (FASC. III) — N. 155

M. SEPTEMBRI

A. MCMLVI

De Jacobo Balde S. J., poëta

Anno proximo quidam in quibusdam fovendae rei Latinae commentariis verba faciebat de Jacobo Baldaeo, Societatis Jesu presbytero et de poëtica hominis facultate, quibus parum mihi consuli videbatur honori Germanorum Horatii. Nam ille mentione facta de libro Carminum Marialium Baldae in urbe Fluminis Januarii a P. Damiano Berge O. F. M. edito, cum etiam hoc rettulisset a P. Damiano Baldaeo in eo collocari numero virorum, qui ad humanitatis studia incubuerint, et postremum insignium lyricorum humanitatis christiana salutari: dicit se in hanc sententiam nequire discedere, nam studia ejusmodi humanitatis jam non saec. XVII sed saec. XVI collocanda esse, illo tempore, quo vitam degerit Petrus Bembus.

Hoc loco me non videre fateor, cur Baldaeus non potuerit profiteri studia humanitatis illius, quae jam saeculo XV inchoata floruerint etiam XVII, in scholis praecipue Jesuitarum, neque hodie penitus sint extincta. Et tam extentae humanitatis P. Damianus censet, et hercle non solus censet, praeclarissimorum poëtarum lyricorum postremum appellari posse Jacobum Baldaeo vel Baldium. Cujus, antequam virtutes quantis celebraverint laudibus alii idemque idonei spectatores, exponam, non possum te, lector, fraudare iudiciis illius cujusdam critici. «Tamen, inquit, Jacobus Baldius priorum humanitatis scriptorum elocutiones imitatus est poëticas, quae cum christiana religione temere pugnant; etenim ab eo Christus «Tonans», Maria «Nympha», «Musa», «Diana», «Dea», «Diva»; S. Michaël «Genius» appellantur». «Multa ille quidem, inquit idem ille, e penore Horatiano veteratorie sumpsit, sed nondum mihi ita persuadeo eum in humanitatis cultorum numerum referri posse. Quid? Ne longius progrediamur, Jacobus Baldius, quae ejus est inanis quaedam loquendi profluentia, quae species et pompa in dicendo, quae ejus ampullae sunt, finitimus maxime ei poëtae videtur, cui nomen est *Luis de Argote y Góngora*»; ubi ego haud scio an contra hic Baldaeo finitimus fuisse sit dicendus.

Hic docendi causa ille duo ampullarum Baldaeanarum exempla profert et absolvit censuram Jacobum Baldium poëticiis laudibus abundare et ipse

existimans. Ea nos in fine sermonis nostri persequemur. Jam enim gliscens fert animus ea narrare, quae alii de gloria Baldaeï poëtae dixerint testimonia. Sed eheu! In tanta laudum materia quid potissimum eloquar haereo, nam si incipiam proferre omnia, explodendus sim.

Sunt ad manum tres librariae Herderianae encyclopaediae, et Carminum Lyricorum Baldaeï volumen anno 1844 Monachii a P. Bennone Müller O. S. B. editum, et exemplar editionis eorundem carminum, quam curavit anno 1856 Franciscus Hipler. Jam P. Benno carminibus praemisit sententiam Herderi, viri litteratissimi (1744-1803), subtexit vitam; Hiplerus etiam copiosius praefatus est de vita Baldaeï et operibus.

Sic igitur paucis complectuntur Baldaeï vitam quae supra dixi lexica: Fuisse poëtam Latinum, renatum baptisate die 4 Januarii anni 1604 Ensisheimii, in civitate Alsatiæ; puerum emigrasse in Bavariam, operam dedisse litteris Ingolstadii, anno 1624 e satis dissoluta adolescentia repente mutatum ad institutum S. Ignatii confugisse; anno 1632 ingenti cum plausu civium et exterorum Ingolstadii docere coepisse rhetoricam, anno 1638 vocatum Monachium contionatorem aulae et educatorem filiorum Maximiliani I, Electoris, per Landshutam et Ammontium (*Amberg*) anno 1654 Neoburgum, ad Danubium situm, contendisse, ubi in aula Philippi Gulielmi ducis sacra obiret; ibi pie placideque confectum hectica febris diem clausisse supremum, nonum Augusti 1668. Baldaeus, inquit lexicon theologicum ecclesiasticum: Michaëlis Buchbergeri. Ratisbonensis Antistitis, polyhistor, in optimis numerandus est poëtis Latinis aetatum omnium, quem Herderus ille vocat immortalem Germaniae poëtam Tot ejus opera epica, satyrica, dramatica. lyrice excellunt elegancia formae, quam ille etiam alios imitans obtinet propriam, et virtute poëtica. Misere jacente Germania Germanorum Horatius Germanos hortabatur, ut de sua recordati dignitate servirent patriae.

Quod polyhistorem dicunt Baldaeum, qui opera legens animadverterit incredibilem scientiam linguae Latinae, mythologiae, historiae, rerum naturalium, verissime polyhistorem vocari fatebitur. De virtute poëtica nullius sententiam anteponam Herdero, qui se multum oblectavit in legendis Baldaeï poëmatis et quasdam odas ejus, Germanice redditas, in sua edidit Terpsychore. Sed accipe quid tantus homo sentiat de nostri Baldaeï ingenio et poësi. Poëta lyricus, inquit, vates est, qui non suo nomine, sed divino afflatus spiritu mortales docet et consolatur. Et hoc majorem in modum Baldaeus praestat, cujus e pectore profluunt sententiae, celse cogitata, aurea praecepta mixta teneris animi motionibus, ubi contemplatur miseriam generis humani universi et calamitatem patriae tricennarii belli afflictam atrocitatibus. Itaque consolatur expulsos suis sedibus, erigit desperatos Fortunam lamentans Germaniae, Germanorum excitat animum, fortitudinem, probitatem, admonet concordiam. Quam vero indignans invehitur in eos qui male administrant rempublicam! Omnibus locis agnoscas vastissimam peritiam

rerum humanarum conjunctam cum philosophica dignitate. Quaedam ejus odae eo pinguntur colore, ut in hoc ipsum tempus scriptae videantur. Et hunc sensorum suorum thesaurum offert inclusum ea forma, qua lingua humana non novit felicior, lyrice. Arte lyrica poeta e nobilissimis cogitationum floribus venusta manu nectit coronas, congerie rerum celsior sublimiorem rerum ostendit sensum, paucis strophis plus poeta docet quam longis sermonibus orator. Nam comperta et diu cogitata et penitus sensa sonore nostris insinuat auribus, per bene dispositas imagines et sententias nostris insinuat animis, quoad artificium suum diligenter per omnes partes structum nobis saepe mirantibus semper contentis absolvit. Horatium secutus carmina lyrica in quattuor libros dispertit cum libro epodon, et Romanum longe superat carminum numero et haud scio an etiam proprietate figurarum et ea quam ingeniosam compositionem dixeris... Ad extremum Herderus fatetur se non raris nocturnis horis delectatum Baldae suavitatibus.

Et cum verendum mihi sit, ne scribenti exundet materia, facere non possum, quin longiusculum locum exscribam ex vita Baldae editioni P. Bennois subjuncta. «Lege ejus poematum tomos, sic ibi est, lector optime, si otiosus es, et quam otiosus esse potuerit auctor, intelliges. Nullum certe inter Latinos poetas hactenus existisse scio, qui Baldaeum et multitudine poematum, et diversitate vicisset. An vero ille plerosque non vicerit ingenio, alterius judicium esto. Quod inter alia singulare habuit, erat haec ipsa ingenii felicitas conjuncta cum admirabili industria et laboris patientia. Nihil effudit in publicum entheus. Omnia ad limam plus quam decies revocabat et poliebat ita, ut omnino effusa viderentur facilitate naturae, non artis labore. Non sine veneratione inspexeris chartas illas ad posterorum memoriam in Monacensibus scriniis repositas, quae poeticos Jacobi partus primitus exceperant. Pluribus saepe lituris ornantur quam lineis. Nec grave illi fuit tertium quartumque verbum periclitari, dum prodiret aptissimum. Una nonnunquam linea sustulit, quod hora plus quam una parturiit. Alienissimus nempe erat a simiarum indole nihil eorum quae aliquando protulere, non basiantium. Aetatem latura in annum premenda monebat; saepe auctoris virgulam subire debere, quod posteritatis oculos olim auderet subire. «Ut male parta male, ita cito parta dilabuntur cito». Unde ferre non poterat, qui Musas ad turpissimam servitutem cogere, et nunc ad sistendos puerorum vagitus, nunc ad pingenda sponsarum flammeola, nunc ad sepelienda magna cadavera, extemporalis promptitudine accinctas vellent; tamquam versus ut fungi unius noctis spatio innumeris protrudí possent... Ceterum argumenta elegit plerumque sterilia tamquam solum ab omni colono destitutum. Sed nihil tam saxosum fuit et aridum, quod inventionum fecunditate non ad elegantias usque excoheret, nihil tam humile, quod ille non magnum redderet et Apolline dignum. Nullum poetices genus intactum reliquit... Multum delectari videbatur satyricis... In lyricis tamen omnium aestimatione dominari est visus, et inter eos

qui in hoc carminis genere versati sunt, tamquam modimperator quidam habitus. Unde a clarissimis viris non nisi Germaniae Horatius honorificentissima compellatione dicebatur. Huic equidem, ut principi, etsi Baldaeus nunquam non assurgeret, fuere nihilominus, qui dubitarent, an Flacco plus concedere deberet quam temporis praerogativam. In primaria Romani imperii civitate a senatoribus ambitiose certatum est pro calamo quo usus est Jacobus. Qui obtinuit, argento inclusum suae in virum aestimationis perpetuum monumentum esse voluit».

Ad extremum pauca transferam ex vita Hiplerianae editioni praemissa. Ibi etiam dissertationem habes Baldaeus de studio poëtico ex qua hic locus est: «Nescio quomodo grammatici praeceptis tradendis supra modum dediti in se ipsos peccent. Sibimet obstetricantur et tamen abortiunt aut nimis praefidentes, aut nimis anxii. Fiducia sui plus justo elati nonnunquam proprios canones abrogant tamquam auctores potestate praediti, quibus jus sit habenas Pegaso laxare vel restringere. Atqui saepe in procursu erramus et decipiunt nos opiniones nostrae. Non continuo tetigeris scopum sagitta Phoebi; quem tangi posse monstrabis. Nimirum aliud est arma fabricare, aliud iisdem strenue uti posse. Quasi etiam hic valeat illud Senecae: «Longum iter est per praecepta, breve per exempla». In anxiiis autem haeret regularum et mille observationum conferta, si non et supervacanea farrago suffocans semen laetioris naturae Musarumque liberalium indolem. Superstitiose serviunt idolis suae mentis, trepidant ad omnes umbras etiam fictorum corporum. Rixantur cum certis syllabis atque nominibus perinde ac si in iis rerum cardo vertatur. «Stilla» an «gutta» in versum assumenda sit dubitant, consulunt, expendunt. Hi ipsi tamen ceteris in rebus majoris momenti quandoque incurii, an etiam ignari. Quo statu pereunt vires et tristi marcore flaccescunt, perit ille floridae hilaritatis sucus ad quaedam genialis ubertas, turbatur vena fanaticis commentis, exhauritur, antequam fluat. Poëtam te, Crescenti, volo, non versificatorem»...

Sed jam quanti habitus sit Baldaeus a summis viris aequalibus et posteris, in eadem Hipleri praefatione sic narratur: Cum Baldaeus carmina ubicumque miram humanae naturae scientiam, dignitatem vere philosophicam, summum patriae et religionis amorem, ditissimam denique venam poëticam et elationem vere Pindaricam spirarent, brevi tempore per totam Europam celebrabantur et a Batavis, Gallis, Italis, Polonis diligentissime legebantur. Ipse poëta a Bavariae et Neoburgi ducibus aliisque Germanorum principibus honorificentissime tractatus et per legatos salutatus a Ludovico XVI, Galliae rege, qui valde Baldaeus versibus delectabatur, dono aureo donatus est. Ferdinandus de Fürstenberg, episcopus Paderbornensis idemque poëta clarissimus, adeo miratus est magni viri ingenium, ut Romam proficiscens Landshutam, ubi tum Balde habitavit, peteret, ut praesens cum ipso colloqueretur. Ipse Alexander VII P. M. Uraniam victricem, cygneam tamquam optimi

senis vocem, adeo probavit, ut missa ad ipsum aurea sui effigie, quo animo opus sibi dedicatum vatemque ipsum susceperit, publice testatus sit.

Quantis vero hunc honoribus affecerunt etiam acatholici homines, ut Barlaeus Calvinista.

Finem faciam, lector, cum acceperis iudicium Orellii illius scriptum circiter annum 1818: «Elegantia quidem et Latini sermonis puritate Polonorum Horatio, Casimiro Sarbievio inferior est, quem tamen, meo quidem iudicio, superat ingenio, inventione, vi poetica et majestate lyrica. Plura illius carmina, si poetae alicujus Romani, Statii v. c. Claudiani, Ausonii nomen praefixum haberent, quantis, eheu, virorum doctorum laudibus et encomiis fuissent in caelum elata! et hoc Christophori Bechlini Jesuitae epigramma:

Lusisti, Jacobe, lyra, nec dulcius unquam
 Phoebeum digitis impulit ullus ebur.
 Quisquis hic est (regeres cum fila sonantia) Flaccum
 E tumulo revocat, dixit Apollo, meum.
 Risi; quique lyra potis est sic ludere, dixi,
 E tumulo Flaccum non revocat, sepelit.»

Hanc igitur nubem auctoritatum ingressus ille in quibusdam commentariis Latinis censor principio nescit, sit Baldaeus studia humanitatis professus, necne. Deinde hoc eum carpit nomine, quod poeticas imitatus elocutiones antiquorum scriptorum Christum Tonantem, Mariam Deam, Divam, Nympham, Dianam, Musam, Angelos Genios appellet. Hic tamen non est obliviscendum carmina Baldaeï non esse hymnos liturgicos, sed artis poeticae fetus, linguae atque ingenii leporibus fulgentes. In quo ornatu mythologica illa nomina non antiquarum fabularum sensu accipienda sunt, sensu christiano, eo fere modo, quo in liturgia Romana sine periculo amittendae fidei «olympum, stygem, tartarum, orcum» dicimus. Metaphorice illa usurpantur vocabula et sunt ornantia epitheta. «Di» sunt etiam insignes homines: Quidni Baldaeï in profana poësi pro alma, celsa, integra «deam» vocare liceat Deiparam? et cur statim impium sit semper Virginem «nostram Dianam» nominare, quam antiqui semper castam finxerint? Deinde, si multa poeta noster «e penore Horatiano veteratorie sumpsit», nonne operae pretium erat examinare, quam Baldaeus ingeniose et sua cum laude Horatii exempla in sua carmina converterit inque nova artificia mutaverit. «Inanem vero in loquendo profluentiam, pompam in dicendo, ampullas» censorem censeo stili exercendi causa Baldaeï dedecori dedisse. Nam quae in ampullarum expiscatus est exempla, aliis specimen poeticae perfectionis videantur. Sunt enim haec: Ubi jejune nos loquamur et pedestri sermone: Deipara etiam primarias mulieres tantum anteit pulchritudine quantum cedri praestant graminibus ob hanc potissimum causam, quod nulla corpus ejus foedatur macula, ut eam decet quae Filium Divinum liniamenta matris suae prae se ferentem ori suo osculandum admoveat. Sic fere ilex et hedera colli

gantur. Talem orationem Baldaeus poëta lyricus, ardentissimus Virginis vates scite venusteque his includit versibus:

Atqui nostra deas forma supereminet omnes,
Ut cedrus despectat aristas.

Ambrosio talos a vertice nullus ad imos
Naevus ebur vitiat Marianum.

Purpureus se enim radiet quod Matris in ore
Filius: haec similem sibi Natum

Apprimat, ut lentis hederis adstringitur ilex.

Haec poëtica elegancia est, oestrus poëticus est. Neque multum ab hac elegancia differre dixerim alterum exemplum, quo sic amator Matrem Dei compellat: *Virgo*, nescio quo pacto plus solito claris laetitiis micans, simulatque roseus te Puer strinxit. Non artiore amplexu frutex veterem ligat quercum.

In fine tamen censionis ille quidam existimat Horatium Germanorum in poëtis praeclare posse consistere, nam nimia illa et insolentia verborum et sententiarum ornamenta illi aetati placuisse, neque negari posse illis eum concinniores et florentes esse, conditius quod dicat numeris fieri, summa texendarum versuum Latinorum gaudere facultate.

P. Damianus Berge, nisi fallor, exspectarat aliquam commendationem Marialium odorum Baldaeï, postremi grandium lyricorum humanismi christiani. In Herderiana encyclopaedia majore anno 1931 edita haec lego verba: «Balde Jakob S. J. neulateinischer Dichter. Der grösste deutsche Barocklyriker. Klassisch geprägte, von echter Dichterkraft durchdrungene Marienoden»... hoc est: Baldaeus —poëta neolatinus— summus lyricorum barocorum Germaniae —classice elaboratae et virtute poëtica plenae odae Marianaë...

Cum ego legissem verba illius censoris statim unum ex illis foliis argentatae chartae candore niveo fulgentibus meo tomulo lyricorum Baldaeanorum circumdedi, ut tanto viro signum darem amicitiae ante annos quinquaginta quattuor initiatae a quodam nostro magistro. Qui anno 1902 in schola recitavit *Cygnum Marianum Baldaeï* dignis cum poëtae laudibus, qui nisi Jesuita esset et Ecclesiae catholicae sacerdos, nisi pro fabulis et pro amoribus et pro vinis veram religionem pangeret, in scholis publicis lectitaretur pro Q. Horatio Flacco.

ANDREAS AVENARIUS

DE JUSTITIA SOCIALI VETERUM PHILOSOPHORUM SENTENTIAE

Si unquam alias, nostris certe diebus —in quibus pyrobolus atomicus in ore hominum et sermonibus versatur, quique tantum humanae justitiae officere potest— non abs re esse videtur anquirere quid veteres philosophi de justitia, et quidem sociali, jam ipsi protulerint, quidve pro suo modulo de ea existimaverint. Opportunum, inquam, videtur —ac proinde in bonam partem id acceptum iri a legentibus confido—, eo vel magis quod hodie, usque adeo ea justitia ab hominibus laeditur, ut ob summam eorum malitiam e terris fugisse prope videatur.

DE FUNDAMENTO JUSTITIAE SOCIALIS

Ita natura comparatum est, ut homines ad civilem communitatem sint consociati. Scite quidem Aristoteles: ἄνθρωπος, ζῷον πολιτικόν. Et adeo inter se intime jungantur, ut alii aliis indigeant, communes utilitates in medium afferant eorumque inter sese societatem devinciant. Hoc est fundamentum firmissimum, qua nititur vera justitia socialis. Ut praeclare scriptum est a Platone, «non sibi solum natum homo meminerit, sed aliis», sed patriae, sed suis, ut perexigua pars illi relinquatur; nam omnes homines, cum ad quandam humanae vitae communionem nascantur, vinculo se societatis obstringunt cum aliis hominibus, ut et naturalis quaedam consuetudo inter eos vigeat, et alii de aliis bene mereantur. Ergo, non solum nobis nati sumus, ortusque nostri partem patria vindicat, partem amici. En ejus verba:

Ἄλλὰ κάκεῖνο δεῖ σε ἐνθυμῆσθαι, ὅτι ἕκαστος ἡμῶν οὐχ αὐτῷ μόνον γέγονεν, ἀλλὰ τῆς γενέσεως ἡμῶν τὸ μὲν τι ἢ πατρὶς μερίζεται τὸ δὲ τι οἱ γεννήσαντες, τὸ δὲ οἱ λοιποὶ φίλοι (*Epist.* 9, A).

Placebat autem stoicis, quae in terris gignuntur, ad usum hominum omnia creari, homines autem hominum causa esse generatos, ut ipsi inter se prodesse possent. Tam breviter, quam venuste Cicero. «In hoc autem naturam debemus ducem sequi, communes utilitates in medium afferre, mutatione officiorum, dando accipiendo, tum artibus, tum opera, tum facultatibus, devincire hominum inter homines societatem» (*De Offic.* 1, 7, 22).

Age dum, natura sumus apti ad coetus, concilia, civitates. Mundum autem antiqui philosophi censebant Dei numine regi, eumque esse quasi communem urbem et civitatem hominum et deorum, et unum quemque nostrum ejus mundi esse partem. Ex quo illud natura consequi, ut «communem utilitatem nostrae anteponamus» (Cf. Cic. *De Fin.* 3, 19, 64). Hecatonem

quidem Rhodium, discipulum Panaetii, videmus in iis libris quos, de officiis scripsit Q. Tuberoni, dicere sapientis esse nihil contra mores, leges, instituta facientem, habere rationem rei familiaris. *Neque enim solum nobis divites esse volumus, sed liberis, propinquis, amicis, maximeque rei publicae.* Singulorum enim facultates et copiae, divitiae sunt civitatis (Vide Cic. *De Offic.*, 3, 15, 63).

Leo Eutycratis filius cuidam percontanti, in qua demum civitate tuto vivere posset: «In ea —inquit— quam qui incolunt, neque plus possident, neque minus». Graviter admonuit, eam civitatem tuto habitari posse in qua iustitiae cura habetur. Ubi enim iustitia colitur, communi omnium securitati consulitur. Et ut leges omnium salutem singulorum saluti anteponunt, sic vir bonus et sapiens, et legibus parens et civilis officii non ignarus, utilitati omnium plus quam unius alicujus aut suae consulit. Demosthenes eos in primis laude dignos pronuntiavit, qui nullam anteponerent iustitiae utilitatem. Pecunias enim quisque possidere potest, at iustitiae gloria pecuniis non emitur.

«Quodque nemo in summa solitudine vitam agere velit, ne cum infinita quidem voluptatum abundantia, facile intellegitur nos ad conjunctionem congregationemque hominum et ad naturalem communitatem esse natos. Impellimur autem natura, ut prodesse velimus quam plurimis, in primisque docendo rationibusque prudentiae tradendis. Itaque non facile est invenire, qui, quod sciat ipse, non tradat alteri; ita non solum ad discendum propensi sumus, verum etiam ad docendum. Atque ut tauris natura datum est, ut pro vitulis contra leones summa vi impetuque contendant, sic ii, qui valent opibus atque id facere possunt, ad servandum genus hominum natura incitantur. Atque etiam Jovem cum Optimum et Maximum dicimus cumque eundem Salutarem, Hospitalem, Statorem, hoc intellegi volumus, salutem hominum in ejus esse tutela» (Cic. *De Fin.* 3, 20, 66). Minime autem convenit, cum ipsi inter nos viles neglectique simus, postulare, ut Deo cari simus et ab eo diligamur. «Quem ad modum igitur membris utimur prius, quam didicimus, cuius ea causa utilitatis habeamus, sic inter nos natura ad civilem communitatem conjuncti et consociati sumus» (Cic. *Ibid.*). Quod nisi ita se haberet, nec iustitiae ullus esset nec bonitati locus.

Jam vero, iustitia —et quidem socialis— nihil aliud est nisi constans et perpetua.

VOLUNTAS JUS SUUM CUIQUE TRIBUENDI

Conferas JUSTINIAN. *Inst.* 1, 1. Detrahare igitur alteri aliquid, et hominem hominis incommodo suum commodum augere, magis est contra naturam quam mors, quam paupertas, inquit Cicero (*loc. laud. De Offic.*).

Callicratidas a Lysandri amicis sollicitatus est, ut unum quendam ex inimicorum numero permetteret ipsis interimere, et acciperet talenta quinquaginta. Quanquam pecunia egebat, ut solveret nautis promissum stipen-

dium, non tamen hoc fieri concessit, cum videret contra omnem hoc esse justitiam. At cum Cleander regius consiliarius dixisset «Ego profecto hoc accepissem, si fuisset Callicratidas», «Et ego —inquit Callicratidas— accepissem, si fuisset Cleander» (CONSULE PLUTAR., in *Lacon. Apoph.*). Quin imo, detrudere aliquid alteri et hominem hominis incommodo suum commodum augere magis est contra naturam quam dolor, quam cetera, quae possunt aut corpori accidere aut rebus externis. Nam principio tollit convicium humanum et societatem: «Si enim sic erimus affecti, ut propter suum quisque emolumentum spoliaret aut violet alterum, disrupti necesse est eam, quae maxime est secundum naturam, humani generis societatem» (CIC. *De Offic. loc. mem.*).

Xerxes Leonidae scripserat: «Si desinas cum diis bellare, et meis te copiis adjunxeris, potes fieri Graeciae monarcha». Cui ita respondit Leonidas: «Si nosses quae in vita mortalium essent justa et honesta, abstinuisses jamdiu a concupiscendis rebus alienis. Ego malim potius pro Graecia mori, quam contra justitiae leges in populares meos tenere monarchiam». Et philosophus quidam, cum videret in Olympiis cursores sollicitos de emissione, ut aliquid lucri haberent ad occupandam victoriam: «Quanto major est —inquit— cura cursoribus de celeritate, quam de justitia!». Vir integrae mentis etiam in ludis volebat haberi rationem justitiae, nec tantum agendum ut prior quis ad metam pertingeret, sed ut juste vinceret (vide STOB. *Serm.* 9, 15).

«Ut, si unum quodque membrum sensum hunc haberet, ut posse putaret se valere, si proximi membri valetudinem ad se traduxisset, debilitari et interire totum corpus necesse esset, sic, si unus quisque nostrum ad se rapiat commoda aliorum detrahatque, quod cuique possit, emolumenti sui gratia, societas hominum et communitas evertatur necesse est». Haec Tullii verba sunt, quem legas licet in opere suo ad Marcum filium, *De Offic.* 3, 5, 22.

Nam sibi ut quisque malit, quod ad usum vitae pertineat, quam alteri acquirere, concessum est non repugnante natura, «illud natura non patitur, ut aliorum spoliis nostras facultates, copias, opes augeamus» (CIC. *De Offic. loc. laud.*). Aristides, interrogatus quid justum esset: «Alienum non concupiscere» —respondit. (STOB. *Serm.* 9, 13). Et Plato, cum partes in conviviiis sortirentur, nec illi favisset sors, amicis hortantibus ut primus omnium caperet: «Non decet —inquit—, invita Venere». Tam natura justus erat, ut contra sortem amicorum favore uti noluerit» (Vide PLUTAR. in *Vita Caetonis*).

Neque vero hoc solum natura, id est jure gentium, sed etiam legibus populorum, quibus in singulis civitatibus res publica continetur, eodem modo constitutum est, ut non liceat sui commodi causa nocere alteri (Tullius ad ejus filium *loc. mem.*). Quod quidem ita se debet habere, quamvis amicitia vetus intercedat vel alia ejusmodi causa. P. Rutilius amico cuidam rem injustam petenti pernegabat, cumque is commotus per summam indignationem

diceret: «Quid ergo mihi opus est tua amicitia, si quae abs te rogo non facis?» «Immo —inquit Rutilius—, quid mihi opus est tua amicitia, si me urgere cupis, ut in iustitiae leges tua causa peccem?» (FLOR. 3, 17, 5 et VAL. MAX. 6, 4, 2).

«Hoc igitur spectant leges, hoc volunt, incolumem esse civium conjunctionem; quam qui dirimunt, eos morte, exilio, vinclis, damno coercent».

JUSTITIAE SOCIALIS PARTES SUNT NON VIOLARE HOMINES

«Justitiae munus est, ut ne cui quis noceat, et ut communibus pro communibus utatur, privatis ut suis» (CIC. *De Offic.*, 1, 7, 20). Atque hoc multo magis efficit ipsa naturae ratio, quae est lex divina et humana; cui parere qui velint —omnes autem parebunt, qui secundum naturam volent vivere— numquam committet, ut alienum appetat et id, quod alteri detraxerit, sibi assumat (Cfr. CIC. *De Offic.*, 3, 5, 23). Etenim multo «magis est secundum naturam pro omnibus gentibus —si fieri possit—, conservandis aut juvandis maximos labores molestiasque suscipere, quam vivere in solitudine non modo sine ullis molestiis, sed etiam in maximis voluptatibus, abundantem omnibus copiis, ut excellas etiam pulchritudine et viribus. Quocirca optimo quisque et splendidissimo ingenio longe illam vitam huic anteponit. Ex quo efficitur hominem natura oboedientem homini nocere non posse.

«Deinde, qui alterum violat, ut ipse aliquid commodi consequatur, aut nihil existimat se facere contra naturam aut magis fugiendam censet mortem, paupertatem, dolorem, amissionem etiam liberorum, propinquorum, amicorum quam facere cuiquam injuriam (ID. *Ibid.*). Hadrianus cum in spectaculo populus clamore flagitaret, ut aurigam, qui placuerat, liberum esse juberet, per tabellam respondit, iniquum esse quod peterent, et contra leges iustitiae. Si enim servum alienum libertate donaret, fieret injuria domino.

Ergo unum debet esse omnibus propositum, ut eadem sit utilitas uniuscujusque et universorum; «quam si ad se quisque rapiet, dissolvetur omnis humana consortio» (CIC. *De Offic.*, 3, 5, 26). Verum tamen, aliquando violatio quaedam necessario evenit —in rebus tamen parvi momenti— respectu rei publicae. Itaque celebratur Iasonis Thessali dictum, quo se purgare solebat iis, quibus molestiam aut vim attulisset: «Qui magnis in rebus se iustitiae cultorem haberi velit, eum in parvis interdum illam violare oportet. Velut in bello, quo tuta sit res publica, agri aut aedificia quorundam civium interdum perdantur oportet» (PLUTARCH. *Praec. Polit.*, 7, 5).

Denique pulcherrimum Tullii argumentum apponam, in quo, ut dixi, cardo vertitur totius iustitiae socialis. Ait enim: «Si hoc natura praescribit, ut homo homini, quicumque sit, ob eam ipsam causam, quod is homo sit, consultum velit, necesse est secundum eandem naturam omnium utilitatem esse communem. Quod si ita est, una continemur omnes et eadem lege na-

turae, idque ipsum si ita est, certe violare alterum naturae lege prohibemur». (*De Offic.*, 3, 5, 27).

Atque haec sunt veterum sententiae de justitia, quam recentiores socialem appellamus. Velim ita fortuna tulisset, ut haec justitia, quae societatem humanae conjunctionis mirum in modum tuetur, ita valeret apud eos qui primos ordines ducunt, ut discordias usque posset dirimere, bella pace componere, et data inter homines dextera, fidem amicitiae inter populos sanciret. Tunc reipsa opus justitiae, pax alma foret.

Ex Bonnoniensi Academia, in Germania, Kal. Januariis, a. MCMLVI.

LEO M. SANSEGUNDO, O. S. B.

ITUR AD ASTRA

(Cfr. fasc. 154, p. 73-80)

HAEC COGITANTI MIHI ET VETERA MEMORIA REPETENTI —sit venia usurpatis M Tulli verbis, sit audaciori fortasse sententiae— in primis esse in culpa videntur philosophi illi saeculi undevicesimi, quorum e duabus praecipue doctrinis, altera de ineluctabili dolore quo homines inde ab incubulis, et omne animalium genus, immo universae res creatae, opprimerentur; altera de agnoscenda animi potestate omnia per se creandi, cum nihil re esset vera divinitus creatum, nec quicquam denique esset rerum natura nisi sempiternus formarum et imaginum fluxus: manavit ubique in Europa per traducem romanticorum quos vocant, cum taedium vitae, tum proterva audacia exercendi libita tamquam provocativas animationes in Deum. Sic, philosophorum jussu, si non disceptando, discernendo actum de Deo est; et tandem extulit caput novus ab iis creatus homo, audax transire fines bonorum et malorum. Deinde non frustra culpaveris grammaticos illos, quorum ratio in omnem fere Europam invecta excolendi studia humanitatis, cum esset potissimum posita in bene longis disputationibus de iudicio ferendo circa veteres scriptores, et prorsus impedita sarcinis nimis exquisitae eruditionis, non ultima denique causa fuit cur nomen ipsum Latinitatis, extra philologorum officinas, in satietatem et taedium veniret.

Valete igitur, carmina virgineo ore musarum modulata, quae homines tacita lectione meditantes ad pulciora et nobiliora ferebantur, atque, beatam pueritiam reviventes, propius a Deo videbantur abesse.

Tuque, seminarium sapientiae atque domicilium Pieridum, majestatis Romanarum litterarum sanctissima custos, humani civilisque cultus parens et educatrix, tu quoque, Italia, vale...

Apud nos enim humanitatis cultores intuebantur admiratione capti in praeclaris antiquitatis operibus non aequabile exemplar omnis sapientiae et pulcritudinis; quin etiam tenebant sententiam SS. Patrum esse ibi insitam necopinatam quandam vaticinationem et quasi anticipationem cultus Christiani, id quod aeternum docet divina mente praeditus poeta omnium maximus Alagherius, sive facit Vergilium ducem sibi et comitem itineris ad Deum, sive in singulis zonis *Purgatorii* tot studet referre exempla virtutum ex Romanis Graecisque historiis deprompta, quot e Sacris Scripturis aut e vitis Sanctorum. Quod si homines, aut fallacibus doctrinis obnoxii aut frigescentes in iis quae ad religionem pertinent, non modo negant in Christianam religionem cultiorem Romanorum et Graecorum humanitatem

confluere, id quod praecipuum *Comoediae* est, sed audent ipsum Christum in crimen vocare, quod inumbraverit «serenam apud Ilissum animam humanam»³⁶; praedicent quantum iis lubet opus Alagheri nihil aliud esse nisi «fabulam theologicam»³⁷, aut defleant «flentes nymphas in imis fluviiis, adveniente Galilaeo quodam rufis comis»³⁸; sed non temere dixerit quispiam illos fortasse latere vim et naturam cum *Comoediae* tum Romanarum et Graecarum litterarum. Frustra profecto homines tot impenderent annos et labores in studia humanitatis, si fructus diu exspectati non alii essent quam jucunda obliviae vitae et otii oblectamenta. Sed haec studia, modo excolantur ratione viaque a majoribus nostris inde a F. Petrarca tradita, non secus quam arati agri centesimo cum fenore reddunt operae impendium, si est aliquid ad culturam animae pervenire, et

*verae numerosque modosque ediscere vitae*³⁹.

Num quicquam est magis optandum etiam iis qui longe aberrant a Deo? Sed quis hoc persuadeat ignaris et invitis?...

ET JAM, UT OLIM NON IN CIVITATIBUS GRAECIS SED IN GRAECORUM COLONIIS scientiae atque doctrinae de rerum natura velut vernantes arbores se induerunt in florem, sic hodie mirantur sua insitiva poma in longinqua terra, cujus vel nomen, quippe quod originem repetat ab Americo Florentino, colonia ut ita dicam Europaea est. Num languet saeculis effeta antiqua mater humani cultus, an consili expers mole ruit sua? Postquam enim America in septemtrionibus posita se ab externo dominatu in libertatem vindicavit, eo usque ope laboris crevit, ut angusti terminis aevi princeps orbis terrarum evaderet. Ac praesertim nostra aetate facile princeps, quippe cujus sit prosperitatis fundamentum certamen quoddam alacritatis, cum in conficiendis operibus quae maxime ad usus vitae pertinent, tum in studiis persequendis earum artium, ut medicinae, ut physices, ut scientiae machinalis, ut mathematicae, quae hominum summopere interest ut prae ceteris disciplinis plurimum progrediantur. Sane non expedit opificibus Americanis ut sint sibi praesidium et decus raucisoni contionatores in comitiis popularium: Respublica enim non laborat classium disparilitate, ut, Europaeorum more modoque, laceretur intestinis discordiis aut aestuet tumultuosis simultatibus inter civium partes aliam aliam superare conantes. Atque ignota res ibi sunt tradita ab atavis latifundia, divitiae privatae saeculorum spatio congestae, «tumentes alto stemmate»⁴⁰ nobiles; nec quisquam flocci, ceterum interdicta

36. CARDUCCI, *Alle fonti del Clitumno*.

37. B. CROCE, *La poesta di Dante*, pp 54, 55, 56, 58, 59, 59, 61, 61, 73, 78, 137, 197, 197

38. CARDUCCI, *ib.*

39. HOR., *Ep.* 11, 2.^a, 144.

40. JUVEN., *Sat.* VIII, 40.

legibus, equestrium honorum insignia, torques, bullas, balteos, phaleras, stellulas auratasque cruciculas, quae ineptiae, cum sunt invitamenta inanum ambitionum, tum apud vulgus odiorum et invidiarum irritamenta. Quam ob rem in opulentissima Rerum publicarum fervet omnium opus, et labor omnibus unus laetitiam parit, perinde quasi idem sic ac cum cives. postquam diu multumque desudaverant in avara mercede a transmarino operum conductore aliquando tandem accipienda, potuerunt sibi suisque suscipere labores, cumque aurea libertas, excusso injusto durae servitutis jugo, sic imbuit jucundo fluxu totum Reipublicae corpus, ut sanguis pulsu arteriarum humanum. Ac, quod peculiare huic nationi est, cum gaudeat ignota Europae libertate, paene immunis evadit a peste communismi quem vocant; cum longe ceteris praestet potentia opibus et scientiarum progressionibus, non ita tamen superbia inflatur ut erubescat «venerari deos», immo studet in primo agmine catholicae religionis se videre.

Utinam haec animo considerent Europaei scientiarum cultores, qui suas artes ediscendi causa in civitates Americanas se transferunt, non secus quam antiqui Romani Athenas et Rhodum petebant, ut Chrysippos et Molones audirent!

UT DOMUS NOVA, locupletissima supellectile ornata quam dixeris vereri accedere pulverem, et omnibus abundans quae faciunt ad commoda vitae atque elegantiam, non satis tamen amplitudinis habere ejus domino videtur, cum cogitat vetustas aedes pretiosissimis rebus insignes et clarorum majorum nomine honestatas; sic opulenta Americanorum Res publica, cum hesternata sit, singulari admiratione prosequitur antiquas nationes Europaeas; ac potissimum Italiam, ingenti gloria vatam onustam, non aequabilem summorum artificum matrem, a Deo donatam unica in orbe aeterna urbe, utpote quae futura esset in aevum caput et arx Christianae religionis. O ab Americi nostri nomine vocati, quae omnium vestrum felicitas fuit, cum Michaëlangeli *David*, os umerosque deo similem, superba vestra advectum loricata navi, aliquantum temporis apud vos habuistis, nec unquam vobis expleri animus videbatur, diu multumque contemplantibus inaequatum illud pulcritudinis exemplar! Quam dociles vos cognovimus nostri Dantis alumnos, cum «per referendum» recto iudicio nobis aperuistis optimam totius sacri poëmatís sententiarum effato illo contineri

In la sua voluntate è nostra pace,

quo re vera loco *Paradisi*⁴¹, non hominis verba audire videmur, sed vocem Dei perpetuo clamantem profundo sub pectore. quod est «pars maxima nostri»!

41. *Par.* III, 85.

Quod si Americanorum natio, cum careat monumentis humanarum litterarum longo ordine majorum traditis, non facile in hoc genere Europaeas aemulari potest, nihilominus in ejus tantum civitatibus sodalicia inveniuntur privatorum hominum, qui sibi legem dederunt non alia lingua inter se loquendi quam Latina; ac, quod pluris est, diuturno exemplo docet desides nos Romanorum nepotes quam magnopere intersit suae quemque fortunae esse fabrum; quae quidem A. Claudii sententia tam apte consonat cum vita actiosa hujus transmarini populi, ut dicas genium loci edidisse. Quid igitur mirum si Americanus, totus in industria et labore, non multum tribuat temporis in studia humanitatis —ceterum etiam apud nos desita in digno honore haberi— propterea quod sint umbratilis vitae negotia et adminicula solaci lentae senectuti, cum contra ipse sit impatiens morae et gestiat in pulverem et solem prodire? Quanti faciat annosa philologorum volumina et gran-nati-corum perpetuas rixas de obsoleta quaestione Homerica, cum videat ab se factum cerebrum electronicum longe longeque magis quam humanum esse aptum celeremque computatorem?

Est, procul dubio, ubi haec Rerum publicarum princeps nondum e pueritia excessisse videatur, sive nimia luxuriat libertate, sive nimis saepe in re politica peccat, quapropter non semel ei contigit «tenere aure lupum»; caret enim Europaea peritia atque calliditate, quando quidem facile nec semel decipi potuit «dolosa arte», dicam quo modo possum, «pelasgica». Sed habet quod juvenali aetati aeternum invidetur, id est virium viriditatem, nativam ingeni liberalitatem, facilem comitatem, simplicitatem animi dolo versutiaque expertem, felicem voluntatem cum inconsiderata quadam nec satis coercita temeritate conjunctam periculosiora et nova et paene fabulosa insectandi.

QUID VULT MODO?

Magnum et prope divinum audet inceptum: Americanus *confisus primae-vae flore juventae*⁴², aetheria navi qua non velocior sagitta tranabit interjectum aëra et spatium inane, ut appellat in suburbium Terrae quod est Luna, et inde, extra jam fines perturbantis aëris, rectius perspiciat longe semotos orbis aequae ac noster globosos eodemque sole collustratos, quorum scientiarum auxiliis jam cognoscit naturam moresque, et ut ita dicam consanguinitatem cum orbe quem habitamus.

Quis non credat propitium esse incepto benigna voluntate Deum?

Jam satis terrae humano sanguine maduerunt, jam dudum densum umbris bibit aure vulgus⁴³ opus esse universa proletariorum dimicatione in locupletes, ut suae utilitati commodoque eorum bona privata tandem aequentur

42. SIL. ITALIC. XVI, 381.

43. HORAT. Od. II, 13, 31.

ad regulam et libellam perinde ac ponderosum versando lapidem molarem aequantur informes silices in viis strati. *Qua peste*, ut M. Tulli verba referam, *quae potest esse major*⁴⁴?

O sequestra impietatis, ventosa et rixosa Libertas, primum exorta ex pestiferis encyclopaedistarum doctrinis, deinde proflata quavis data occasione ex coaxantium rhetorum ampullis, facta denique, cum effrenata tyrannorum voluntas sibi humana et divina subiciendi, tum inquinatae juventutis proterva lubido luxu et otio perfruendi, abrepta undique per omne nefas et horrendum quodque facinus regina Pecunia! O nomen vanum et falsissima rerum! O acerbissimae damnationes innumerabilium civium, quibus crimen fuit aut servitutem patriae luxisse —heu impudentiam!— aut exterarum gentium diaria ex radiophonio excepisse —eheu nefas!— aut sacras icones domi servavisse —eheu laesam majestatem, eheu!

In tanto turbine rerum dominatur, ut par est, rabiosa insectatio nominis Christiani; quin eo usque extollitur impudentiae, ut, ad ostentationem nescio cuius caesareae omnipotentiae, insaeviat in Antistites primarios, vel honestatos sacra Purpura, quos amplissima dignitas, divinarum et humanarum litterarum ornamentum, eximia vitae sanctitudo faciebant ubique gentium venerandos. Quid faciat humani generis Custos et Pater, cum ipse sit destinatum signum prava jubentium, et videat impotens auxili reos capitibus factos, quos, pro singulari cuiusque merito, dignitate atque honore auxerit? quem habeat auxiliatorem, cui dederit Deus partes scelus expiandi? Quodsi oreretur armipotens aliquis bellator, quidnam putamus ab ejus gestis non timeret, quandoquidem bella bella vocant?

SED FIERI NON POTEST ut sint ludibrium ventorum tot ignita Pontificis preces et vota, tot voluntariae sanctarum virginum afflictiones atque vitae asperitates, tot lacrimae matrum, tot inaudita innocentium tormenta, immanes saevitiae, obscenae caedes; nisi vero audiendi sunt recentiorum aetatum philosophi, quorum sententia —veterrima quidem sententia eaque a M. T. Cicerone vehementer improbata atque ejecta— numquam occurrit nobis Deus, neque in precibus, neque in optatis, neque in votis⁴⁵. Quid est enim quod, cum nationes fere ubique terrarum odiis, simultatibus et bellandi lubricine inter se exardescant, in unum saltem punctum conspirant atque consentiunt, quod pari cupiditate expectant diem cum terrigenae caelestia corpora novissimis scientiarum inventis aliquando tandem adibunt? Profecto non temere aliquis «*Digitus Dei*», inquiet, «*est hic*»! Etenim, si priscis temporibus, cum homines rariores et paene dispersi vicatim habitabant, par fuit recreandis animis poeta vagus et errans, caelesti quodam instinctu incitatus,

44. *De Off.* II, 31.

45. *De nat. deor.*, I, 14, 36.

consentaneum arbitrari videtur non sine divino numine lectissimos ex scientiarum peritis in tanta populorum commixtione et animorum concussione mirificum quoddam creavisse, quod esset, cum spectaculum omnibus, tum omnibus causa petendi altiora.

O diem illum, cuius similem post homines natos nemini contigit videre, cum fortes juvenes prope divino usu ibunt in orbem lunarem; cum gentes ubique terrarum, non modo legent multa cum animi contentione ephemerides narrantes cursum aetheriae Argus, sed, quod incredibile est, non secus quam in opposito speculo videbunt in prima fronte machinae teloramicae quo modo se gerant lecti illi adulescentes, volantes cum volanti vehiculo, expertes pondere corporis, vel potius ut ita dicam nondum onerati, quasi sint a creatione recentes!

Pereant gigantomachiae philosophantium, qui, cum docent omnia esse deum, Deum esse negant; et eant bene ambulatum cum suis morosissimis lucubrationibus difficiles grammatici, per quos, una cum sapientia, perdidimus tum eximia animi ornamenta, tum suadentia invitamenta religionis! O felices transmarinos doctos, qui eas disciplinas et artes enixe persequentes quae hominum generi maximae sint utilitati, ab hujusmodi animi perturbationibus et aegrimoniis paene liberi evadant! Sed feliciores, quod iis liceat vehiculo ab se creato ingredi iter divi nostri Dantis, et vos ad meliora fortasse excitare,

. . . *curvae in terris animae et caelestium inanes*⁴⁶.

SED VIRI AMERICANI, rei astronomicae periti ut qui maxime, nedum cogitent martianos philosophos, satis habent si possint ocius serius ire salutatum solivagam Cynthiam. Id omni animi contentione adsequi nituntur, id acerrimis studiis, id assiduis pervestigationibus in omni scientiarum genere, id novis in dies inventis. Et jam tota natio ita dat operam animoso incepto, ut cum paratur bellum ad liberandam patriam; non minus ingentes promuntur ex aerario pecuniae, neque minores sunt laborum alacritates; idem studium in crebris peritorum conventibus optima quaeque capiendi consilia ne claudicet optata victoria, idem populi consensus, eadem omnium exspectatio. Quid de juventute diligentissime selecta et diuturnis exercitationibus durata, ut par sit iis subeundis periculis, quae strenuissimus quisque reformidet? Nemo profecto post hominum memoriam expertus est infi-

45. *De nat. deor.* I, 14, 36.

46. *PERS. Sat.* II, 61.

47. Cf. L. Confalonerti. *Getteremo sulla luna il nostro volto e le nostre voci*, *Comment. hebdomad. Oggi.* n. 32, 6 agosto 1953, p. 33.

48. S. C. *Vendremo quest'anno gli abitanti di Marte?*, *ephem. Il Quotidiano*, n. 6, 7 gennaio 1954.

49. *PLAUT. Amph.* V, 1, 10.

nitum inane, ubi aetherium militem oportet ferre secum spirabilem aëra, ut solet viator marsupium; et, factum pluma leviolem, nescire ubi pedibus consistat, ubi sit summum, ubi imum; dediscere ambulare ut ante solebat, et loqui, et cibos sumere, et poculo uti ad levandam sitim: denique sic recordari Terram, jam se contrahentem in faciem lunae, ut memoriam pueritiae ultimam.

Sed Americana pubes, ut fertur ingenio ad insueta et inusitata, sic ad periculosiora trahitur sua facile generosa voluntate, atque, velut aves Leopardianae, congenita suae ipsius libertati laetitia.

INGENS INGENTI MOLE MACHINA ab Americanis excogitata, quae verticem extollit perinde quasi cognata aedificia minantia caelo, est omnis divisa in partes tres, quarum inferiores, altera post alteram brevissimo temporis intervallo demissae deorsum, agunt sursum immani vi repulsus tertiam similem navi loricae lamnis, nisi cursum ab imo ad summum teneret. Non minus enim habet intus partitionum et classiariorum; sed insuper prae se fert instrumenta prorsus infinita, quibus socia opera et studio crebrisque experimentis adlaboraverunt quotquot erant viri in singulis partibus singularium scientiarum atque artium apprime eruditi.

Immensum machinamentum se proicit in altum edens fragorem ut cum tonitruum provolvitur propius terrae, et celeritate fulguris transcurrit extra sublimem aethera, donec amisso pondere se agit tamquam levissima nubes. Jam aërei classarii uno eodemque temporis aeterno momento effugerunt itineris pericula maxima duo, quasi conjuratas in omnium exitium Scyllum et Carybdim, geminum nempe periculum ne una omnes opprimeret vis repulsus, neu navis vehementer perfricando crassum et concretum aëra, arderet ut Alcestis sagitta. Sed utrumque caverat mens provida auctorum tam magni incepti, postquam diu perscrutando invenerant viam, tum navis perfrigerandae, tum obtundendi impetum repulsus. Nunc, tantulo temporis elapso quantum vix esset satis ter centum arteriae pulsibus numerandis, evicto jam aëre, navis placide appellit stationi in sublime aetheris praestitutae.

Quid portentis est hoc opus humana mente novissime conceptum, quo viso opificem fulminis Hephaestum suae artis puderet? Fortasse nec Michaëlangelus tam benigne sibi subrisisse credit Creatorem rerum, cum stupuit quod suus *Moyses* non loqueretur, quam arbitri scientiarum Americani, cum suum ingens opus considerant, in terris factum et caelo excipendum. Vertiginat mens, modo cogitet quid sit haec paene fabulosa structura, cujus ne nomen quidem proprium et aptum reperias, cum sit necesse ad rerum vocabula confugere inter se pugnantium. — «Quid tandem est?» — Quid? sed statio non stativa, quam addeceret inscriptio Juli Verne «Mobilis in mobile»!; sed castrum positum in inane, quale nec per jocum mente finxit Aristophanes! Ac quis oculis suis crederet, si hoc castrum videret formatum in figuram anuli cuniculati, quo continerentur tum technicorum et mechanicorum officii-

nae, tum loca apta collocandis astronomicis mathematicis physicis aliisque omnimodi generis instrumentis, tum apothecae refertae scaphandris, utribus aëre inflatis, vestibis, tegmentis, pulvinis, soleis magneticis, et cibariis nulla supellectile escaria utendis?

Grandis anulus, lamnis argenteo colore tectus, rotat circum suum punctum medium, quasi sit de familia Saturni, et tertia quaque hora conficit orbem terrarum, aequae ac mensis longinquitate luna. Quos hospitat viros doctissimos dedocet dignoscere summum et imum, et facete eo usque fallit, ut sibi videantur circumagi, prope repuerascentes, equiriis lusoriis; deinde, quasi misceat seria ludo, docet reminisci et reperire amissam potestatem standi atque ambulandi.

Terra mater sequitur non passibus aequis suum anulum volucris pede currentem, et tamen ita sibi conjunctum tenet vinculis teloramis, ut argonautarum voces et imagines sine intermissione accipiat, reddatque suas; almus sol convergit suos aureos radios in cavum speculum superpositum stationi, et, qua est liberalitate, jubet mutari in amabilem vim electricam, cum in officinas et in cubicula defluunt.

SANE NON DEDECET ATTINGERE LEPIDA QUADAM FESTIVITATE hujusmodi inventa, quae longe longeque necopinantem deprehendunt tam novis et mirificis negotiis, ut ei videantur per ludum proposita. Sed quis secum non conqueratur quod ne animo quidem concipere possit quanti stet hoc animosum nec prius auditum inceptum, quae absumat studia, sumptus, labores; quas postulet morosas haesitationes et sollicitas curas, quas ferat formidanda pericula; uno verbo, quid sit ipsa per se navigatio ad astra, cujus praeterea, non immortalia poemata vatum sint praemia speranda, non propagatio imperi, non fabulosae auri fodinae, sed jejuna quaedam gloria audaciae, et commissa laus honosque laboris ephemeridum chartis, quibus inepta quaevis amicitur res?

At tamen hujusmodi ponderis opera et onera, quasi explere debeat munus sibi a Deo assignatum, suscipere non timet Respublica florens juvena, dives opum divesque laborum, cujus sunt insignia ingens monumentum Libertati dicatum fere ubique gentium oppressae, educta sub astris tecta opificum qui in tam magna parte Europae et Asiae deceptum vulgus sunt, et, singulare vexilli ornamentum, tot sidera quot civitates.

Et jam prope est tempus cum e statione aethera solvent naves tres, quot Genuensis phaseli, petiturae sidus noctium, per inane interminatum. Quinque post dies, luna, jam proxima, aemulabitur terram opacitate, et longinqua terra, induta faciem lunae, splendescet inter minora sidera.

Tum caelestis viator audiet propius loquentem, in altissimo silentio rerum, Deum; et injussa lingua fundet aureis sub astris tuum sacrum carmen, divinae Poëta:

*S'io era sol di me quel che creasti
novellamente, Amor che 'l ciel governi,
Tu il sai che col tuo lume mi levasti.* Par. I, 73-75.

ALOISIUS GUERCIO

Interpretatio Latina "Magistri Perezii"

[cfr. fasc. 154, p. 84-97]

III

Faustam tibi noctem, optima Baltassaria; ergo et tu hac nocte sacro ad gallicinium adstabis? Quod ad me..., in animo erat curiae templum petere ibique sacro interesse..., sed quod assolet: *cum pluribus pugnare arduum, cedendum multitudini*²². Id tamen —si verum dico— ex quo mágister Perezius decessit, cum ad beatæ Agnetis accedo, *quasi saxum me opprimere* videtur. Misellus ille! Sanctissimus erat vir! Id plane dicam me ex ejus thorace laciniam, velut caelitum reliquias, sedulo asservare..., neque sane ab ea laude abest...; nam. *ita vivam, pro sancte Deus!*, si Reverendus Archiepiscopus hanc causam susciperet, certo nepotuli nostri illum in altaribus sanctum caelitem conspicerent... At, qui ita futurum? *Amici salute tenus...*²³ Nunc omnes *rerum novitate sollicitamur atque trahimur...*: tenes quid dicam... Quid ergo? Quae feruntur ignoras? In hoc profecto germanae sumus: de domuncula in templum, de templo in parvam nostram domum..., quin *de iis quae vulgo agitantur*, curemus...; sed

III

—Buenas noches, mi señora doña Baltassara, ¿también usarced viene esta noche a la Misa del Gallo? Por mi parte tenta hecha la intención de ir a oír a la parroquia; pero lo que sucede... ¿Dónde va Vicente? donde va la gente. Y eso que, si he de decir la verdad, desde que murió maese Pérez parece que me *echan una losa sobre el corazón* cuando entro en Santa Inés... ¡Pobrecito! ¡Era un santo...! Yo de mí sé decir que conservo un pedazo de su jubón como una reliquia, y lo merece..., pues, *en Dios y en mi ánima*, que si el señor arzobispo tomara mano en ello, es seguro que nuestros nietos le verían en los altares... Mas ¡cómo ha de ser!.. *A muertos y a idos no hay amigos...* Ahora lo que *priva es la novedad...* ya me entiende usarced. ¡Qué! ¿No sabe nada de lo que pasa?

Verdad que nosotras nos parecemos en eso: de nuestra casita a la iglesia, y de la iglesia a nuestra casita, sin cuidarnos de *lo que se dice o déjase de decir...*; sólo que yo, así... al vuelo... una palabra de acá, otra de acullá... sin ganas de enterarme siquiera, suelo estar al corriente de algunas novedades... Pues, sí, señor; parece cosa hecha que el organista de San Román, aquel bisojo, que siempre *está echando pestes* de los otros organistas; *perdulariote*, que más parece jifero de la puerta de la Carne que maestro de solfa, va a tocar esta Noche-Buena en lugar de maese Pérez. Ya sabrá usarced, porque esto lo ha sabido todo el mundo y es cosa pública en Sevilla, que nadie debía comprometerse a hacerla. Ni aun su hija, que es profesora, y después de la muerte de su padre entró en el convento de novicia. Y era natural:

22. Proverbio Hispanico adagium Latinum ex P. Manutio (*Adagia*, Florentiae, MDLXXI, col. 991) «cedendum multitudini» accommodavi.

23. Cfr. adagium sub «lingua amicus» apud Paulum Manutium (col. 830).

ego... sic... raptim, hinc... inde, colloquentium quaedam —quin id animi mei sit— verba expiscor..., rumusculos interdum subausculto... Enimvero, composita et expedita res videtur, illum nimirum beati Romani organi moderatorem, illum strabonem, qui alios organorum moderatores *verbis contumeliosos* semper *insectatur*, illum dico, *vagum errantemque*, —qui viae Carnis lanus quidem videtur, non vero musicae praeceptor—, hac fausta Nativitatis nocte pro magistro Perezio organum esse moderaturum.... Neque enim ignoras —cum in ore omnium versetur atque tota Hispali pervulgatum sit—, hujusmodi rem suscipere ausum esse neminem, neque ejus filiam, quae artem musicam profitetur et mortuo patre, inter monasterii novicias est allecta... Quid mirum? Cum illa musicorum portenta auribus exceperimus, reliqua omnia —quanquam rerum collationes vitandae—, dissona nobis habenda profecta sunt. Cum ergo sanctimonialium coetus honoris causa —ut magistrum Perezium grata prosequerentur memoria—, hac nocte organum obmutescere statuissent..., *en hominem*, qui se illud pulsaturum, profitetur. Nihil est sane ignorantia petulantius. In culpa vero ille non est, qua tamen non vacant culpa qui haec profana admittunt; *sed... sic vivitur...*; nihilo minus... plebis concursus frequentissimus..., neque quidquam immutatum a superiore anno quis diceret. Idem optimates, eadem rerum luxuria, eadem ad fores concursationes impulsusque, eadem in atrio hominum celebritas, eadem in templo turba. Heu! Si exstinctus revivisceret!..., ne organum hujusmodi manibus pulsatum audiret, profecto vitam rursus poneret. Si tamen verum est, quod vulgo viculi cives dicunt, profanum illum hominem lepide certo ludent...; cum manus ad tessellas organi admoveverit, tunc *clamor strepitusque* crepitaculorum, tympanorum, subrusticorum tympaniolorum orietur, ut nihil jucundius percipias. At, tacedum, templum noster ille caerimoniae heros ingreditur... Bone Jesu! Quae hominis vestes variis distinctae coloribus, quod lineum collare tubulis instructum, *qui oris habitus!* Sed age, intro eamus, nam

acostumbrados a otr aquellas maravillas; cualquier otra cosa había de parecernos mala por más que quisieran evitarse las comparaciones. Pues cuando ya la comunidad había decidido que, en honor del difunto y como muestra de respeto a su memoria, permanecería callado el órgano en esta noche, *hete aquí que se presenta nuestro hombre*, diciendo que él se atreve a tocarlo... No hay nada más atrevido que la ignorancia. . Ciertamente que la culpa no es suya, sino de los que le consienten esta profanación...; *pero así va el mundo...* y digo .. no es cosa la gente que acude... cualquiera diría que nada ha cambiado de un año a otro. Los mismos

personajes, el mismo lujo, los mismos empujones en la puerta, la misma animación en el atrio, la misma multitud en el templo... ¡Ay si levantara la cabeza el muerto! Se volvía a morir por no oír su órgano tocado por manos semejantes. Lo que tiene que, si es verdad lo que me han dicho las gentes del barrio, le preparan una buena al intruso. Cuando llegue el momento de poner la mano sobre las teclas, va a comenzar *una algarabía* de sonajas, panderos y zambombas que no haya más que oír... Pero, ¡calle!, ya entra en la iglesia el héroe de la función. ¡Jesús, qué ropilla de colorines, qué gorguera de cañutos, qué aire de personaje! Va

Reverendus Archiepiscopus jam diu est cum advenit et sacri statim fiet initium; age, eamus, nam hujus noctis res copiam tabulandi in multos dies supeditabunt.

Quae cum dixisset garrula nostra mulier, —quam vos legentes ex immodica loquacitate nostis— aditum sibi de more per turbam expediens, manibus adstantes impellens eosque cubito trudens, in Beatæ Agnetis templum introivit. Sacra caerimonia initium duxerat.

Templum ut priore anno refulget. Novus organi moderator per medios christifideles, qui in alis sacrae aedis continentur, iter facit, ut antistitis anulum osculetur; in suggestum ascendit ibique organi pinnas, simulata ac perridicula gravitate pulsat.

Inter illam pusillorum multitudinem ante sacram aedem coacervatam subraucus et inconditus fremitus increbrescit: quo tempestatem concitari atque subinde impendere certo praemonstratur.

—*Veterator est ac verbero*— alii— qui vel distortis contuetur oculis ut nihil omnino recte faciat. —Alii vero: Imperitus est homo, qui, postquam curiae organum adeo dissolvit ut deterius quam *raucum e ligno crepitaculum* personet, nunc, —ut manibus suis magistri Perezii, organum polluat—, huc accedit.

Et dum alius paenula se expedit ut tympanum validius pulset, et alius crepitaculum parat, omnesque ad strepitum quam maxime ingentem se accingunt, non nulli tantum ridiculum hominem frigide defendere tentant, qui habitum oris arrogantem et petulantem —illi simplici vultui et ingenuae comitati magistri Perezii extincti adeo dissimilem—, praebet.

mos, vamos, que ya hace rato que llegó el arzobispo y va a comenzar la Misa...; vamos, que me parece que esta noche va a darnos que contar para muchos días.

Esto diciendo la buena mujer, que ya conocen nuestros lectores por sus exabruptos de locuacidad. penetró en Santa Inés, abriéndose, según costumbre, un camino entre la multitud, a fuerza de empujones y codazos. Ya se había dado principio a la ceremonia.

El templo estaba tan brillante como el año anterior.

El nuevo organista, después de atravesar por en medio de los fieles que ocupaban las naves para ir a besar el anillo del prelado, había subido a la tribuna, donde tocaba unos tras otros los registros del órgano, con una gravedad tan afectada como ridícula

Entre la gente menuda que se apiñaba a

los pies de la iglesia se oía un rumor sordo y confuso, cierto presagio de que la tempestad comenzaba a fraguarse y no tardaría mucho en dejarse sentir.

—*Es un truhán*, que por no hacer nada bien, ni aun mira a derechas —decían los unos.

—*Es un ignorantón* que, después de haber puesto el órgano de su parroquia peor que una *carraca*, viene a profanar el de maese Pérez —decían los otros.

Y mientras éste se desembarazaba del capote para prepararse a darle de firme a su pandero y aquél apercibía sus sonajas, y todos se disponían a hacer bulla a más y mejor, sólo alguno que otro se aventuraba a defender tíbilmente al extraño personaje, cuyo porte orgulloso y pedantesco hacia tan notable contraposición con la modesta apariencia y la afable bondad del difunto maese Pérez.

Instat tandem sollemne illud tempus quo sacerdos, pronus, pauca dicit verba sacra ac manibus Hostiam sumit... Tintinnabula crebro sonitu pulsantur, quorum festiva percussio crystallinae notae —velut tenuis pluvia—, videntur; thuris perlucidæ undæ emergunt, et organum resonat. Ingens fremitus strepitusque totum opplet templum, atque primum musicum concentum exstinguit.

Sambucæ, tibiæ, crepitacula, tympana, omnia plebis musica instrumenta dissonis vocibus concinunt. .; at perturbatio et strepitus ad punctum temporis producitur...; omnes una, ut initium fecerunt, ita et rem absolvunt...

Alius deinde concentus, amplus, validus, plane bellus e tubis organi metallicis eductus —velut suavissima harmonia omnibus numeris constans—, subtiliter protrahitur.

Carmina caelestia quæ, *cum animus a sensibus abalienatur*, auribus blandiuntur: cantica, quæ mente percipiuntur, quin sermone proferri possint; notas singulares longinqui moduli, quæ, interposito spatio —velut lenis auræ afflatu advectæ—, sonant; foliorum strepitus, quæ inter se quasi deosculari in arboribus videntur murmure pluviis decidentibus persimili; alaudarum modulationes, quæ —velut sagittæ in nubila projectæ—, e floribus modulantes evolant; ingentem strepitum velut tempestatis fragorem et immòdicam vim; Seraphim choros sine numeris modisque; ignotam caelorum musicam quam mens solum apprehendere potest; hymnos volitantes, dicerem, qui ad Dei thronum tanquam lucis ac modulationis lenis turbo ascendant: hæc omnia mille organi voces exprimebant majore vi, *suaviore carmine*, variore colore quam unquam etiam tunc perfecerant.

.

Al fin llegó el esperado momento, el momento solemne en que el sacerdote, después de inclinarse y murmurar algunas palabras santas, tomó la Hostia en sus manos. . Las campanillas repicaron, semejando su repique una lluvia de notas de cristal; se elevaron las diáfanas ondas de incienso, y sonó el órgano.

Una estruendosa algarabía llenó los ámbitos de la iglesia en aquel instante y ahogó su primer acorde.

Zampoñas, gaitas, sonajas, panderos, todos los instrumentos del populacho, alzaron sus discordantes voces a la vez; pero la confusión y el estrépito sólo duró algunos segundos. Todos a la vez, como habían comenzado, enmudecieron de pronto.

El segundo acorde, amplio, valiente, magnífico, se sostenía aún brotando de los tubos

de metal del órgano, como una cascada de armonía inagorable y sonora.

Cantos celestes, como los que acarician los oídos *en los momentos de éxtasis*; cantos que percibe el espíritu y no los puede repetir el labio; notas sueltas de una melodía lejana que sueñan a intervalos traídas en las ráfagas del viento; rumor de hojas que se besan en los árboles con un murmullo semejante al de la lluvia; trinos de alondras que se levantan gorjeando de entre las flores como una saeta despedida a las nubes; estruendos sin nombre, imponentes como los rugidos de una tempestad; coros de serafines sin ritmo ni cadencia, ignota música del cielo que sólo la imaginación comprende; himnos alados, que parecían remontarse al trono del Señor como una tromba de luz y de sonidos. . todo lo expresaban las

Cum organi moderator e suggestu descendit, tanta fuit turba, quae ad scalas confluit tantoque flagrabant omnes studio illum videndi ut Praefectus, non immerito metuens ne homo ille suffocaretur, iusserit apparitores, virgam manu tenentes, usque ad aram maximam —quo illum antistes opperiebatur—, per mediam turbam adducere.

Cui —cum in conspectu adfuit—, Antistes dixit: plane non ignoras me e palatio te unum ut audiam huc advenire. Adeone ut magister Perezus inhumanus eris qui nunquam in sacra principe aede fausta Nativitatis nocte organum pulsare voluit meumque viae laborem devitare?

—Insequenti anno tibi morem gerere promitto —ille respondit—, nam huiusmodi organum —quamvis auri montes mihi pollicearis—, rursus non pulsabo.

—Nam quid ita? —Pontifex interrogavit.

—Quia... —respondit ille, simul commotum animum comprimens qui in oris pallore apparebat—, quia obsoletum nimirum est ac vitiosum, neque enim, quae mente concipiuntur, exprimit.

Archiepiscopus cum familiaribus abiit... Dominorum lecticae *suo ordine* praeteribant, ac per viarum anfractus excesserunt; qui in atrio continebantur fideles, alii alto dilapsi sunt; cum autem sanctimonialium administra atrii fores occludere intendebat, etiam duae conspiciebantur mulieres quae —producto crucis signo precibusque ante *sacram tabulam toreumatis decoratam* ad arcum sancti Philippi recitatis, in Dominarum angiportum tendentes—, viam persequabantur.

Quid tibi dicam, mea Baltassaria..., istud meum est... *Desine me hac in re*

cien voces del órgano, con más pujanza, *con más misteriosa poesta*, con más fantástico color que lo habían expresado nunca.

Cuando el organista bajó de la tribuna, la muchedumbre que se agolpó a la escalera fue tanta y tanto su afán por verle y admirarle, que el asistente, temiendo, no sin razón, que le ahogaran entre todos, mandó a algunos de sus ministriles para que, vara en mano, le fueran abriendo camino hasta llegar al altar mayor, donde el prelado le esperaba.

—Ya veis —le dijo este último cuando le trajeron a su presencia—: vengo desde mi palacio aquí sólo por escucharos. ¿Seréis tan cruel como maese Pérez, que nunca quiso excusarme el viaje, tocando la Noche Buena en la Misa de la catedral?

—El año que viene —respondió el organista—,

prometo daros gusto, pues por todo el oro de la tierra no volvería a tocar este órgano.

—¿Y por qué? —interrumpió el prelado.

—Porque... —añadió el organista, procurando dominar la emoción que se revelaba en la palidez de su rostro— porque es viejo y malo y no puede expresar todo lo que se quiere.

El arzobispo se retiró, seguido de sus familiares *Unas tras otras*, las literas de los señores fueron desfilando y perdiéndose en las revueltas de las calles vecinas; los grupos del atrio se disolvieron, dispersándose los fieles en distintas direcciones, y ya la demandadera se disponía a cerrar las puertas de la entrada del atrio, cuando se divisaban aún dos mujeres que, después de persignarse y murmurar una oración ante el *retablo* del arco de San Felipe, prosiguieron su camino, internándose en el callejón de las Dueñas.

mente desipere..., hoc mihi excalcatus Frater Capuccinus asserat, neque tamen satis credam... Quae nunc auribus percepimus nostris, hic modulari non potuit homuncio... Centiens eum ad Beati Bartholomaei, quae ejus est curia, audivi, a qua compertum habeo Reverendum Curionem illum expulisse..., nam profecto xylo aures obturandae erant...

Ejus tantum inspicere vultum, qui, ut ajunt, animi est speculum... Missellum magistrum Perezium — quem nunc ante oculos propono —, memoria teneo ejusque oris habitum cum hac tali nocte — postquam exquisitissimis modis eos, qui audierant, ad magnam admirationem traduxerat —, e suggestu descendebat... Ut leniter arridebat, ejusque facies ut vegeta erat!... Senex erat et tamen Angelus videbatur; non ita quidem iste qui per scalas *subsultans* — velut si canis eum e scalarum areola latraret —, *exsanguis facie* descendebat, et... Hem! mea Baltassaria, mihi crede, serio mihi crede... *intricatum in hac re esse nodum* vehementer suspicor .

Quae verba, dum diligenter explicant duae illae mulieres, viae angulum praetergrediuntur indeque discedunt.

Ex iis altera quae fuerit mulier, legentibus referre opus non est.

IV

Effluxerat annus... Beatae Agnetis monasterii suprema Moderatrix atque magistri Perezii filia submissa voce, in tenebris chori sacrae aedis quasi latentes, colloquuntur. Trepida voce e sacra turri tintinnabulum christifideles advocat, rarus quis civis atrium — quod nunc hominum frequentia vacat —,

—¿Qué quiere usarced, mi señora doña Baltasara? decía la una—, yo soy de este genial. Cada loco con su tema... Me lo habían de asegurar capuchinos descalzos y no lo creería del todo.. Ese hombre no puede haber tocado lo que acabamos de escuchar... Si yo lo he oído mil veces en San Bartolomé, que era su parroquia, y de donde tuvo que echarle el señor cura por malo, y era cosa de taparse los oídos con algodón... Y luego, si no hay más que mirarle al rostro, que, según dicen, es el espejo del alma... Yo me acuerdo, pobrecito, como si lo estuviera viendo, me acuerdo de la cara de maese Pérez, cuando en semejante noche como ésta bajaba de la tribuna, después de haber suspendido al auditorio con sus primores... ¡Qué sonrisa tan bondadosa, qué color tan animado!.. Era viejo y parecía un ángel... no éste que ha bajado las escaleras a trompicones, como si le ladrara un perro en la meseta, y con

un color de difunto y unas... Vamos, mi señora doña Baltasara, créame usarced, y créame con todas veras... yo sospecho que aquí hay busilis...

Comentando las últimas palabras, las dos mujeres doblaban la esquina del callejón y desaparecían

Creemos inútil decir a nuestros lectores quién era una de ellas.

IV

Había transcurrido un año más. La abadesa del convento de Santa Inés y la hija de maese Pérez hablaban en voz baja, medio ocultas entre las sombras del coro de la iglesia. El esquilón llamaba a voz herida a los fieles desde la torre, y alguna que otra persona atravesaba el atrio, silencioso y desierto esta vez, y después de tomar el agua bendita en la puerta, escogía un puesto en un rincón de las naves, donde unos cuantos vecinos del barrio

pertransit et lustrali aqua ad januam sumpta locum sibi in alarum angulo deligit, ubi non nulli viculi cives quiete sacri ad gallicinium initium opperiantur.

—Eja, inquit Antistita, inanem prorsus timorem animo omitte; nemo profecto in templo est; cives Hispalenses hac nocte frequentes sacram aedem principem petunt. Organum pulsa idque erecto, prorsus animo; omnes tantum sorores fraterna congregabimur societate... At... taces etiam nunc, quin suspiria trahere desinas? .. Quid tibi est?...

At sacra virgo animo prorsus commoto, «metuo»... inquit.

—Metuis? sed quidnam?...

—Nescio plane... Rem aliquam prope divinam... Superiore nocte cum vota tuae caritatis²⁴, ut organum per sacrum pulsarem, intellexissem et gaudio exultans tanto decorata honore me accingerem ut pinnas componerem totumque contenderem organum et hodie in admirationem tuam Caritatem adducerem..., ad chorum accessi... sola eram... portam, quae ad suggestus ducit aperui... Hocque temporis puncto in sacra principe aede personabat hora —quae illa fuerit hora nescio—... Sed aera moestissima sonabant ac numero multa, sane multa... ac, dum ego in limine immota constitui, personuerunt...: quod sane tempus annus²⁵ mihi visus est...

esperaban tranquilamente que comenzara la Misa del Gallo

—Ya lo veis —decía la Superiora—, vuestro temor es sobremanera pueril; nadie hay en el templo; toda Sevilla acude en tropel a la catedral esta noche. Tocad vos el órgano y tocadle sin desconfianza de ninguna clase; estaremos en comunidad. Pero, ¿proseguitis callando, sin que cesen vuestros suspiros? ¿Qué os pasa? ¿Qué tenéis?

—Tengo... miedo exclamó la joven con un acento profundamente conmovido.

—¡Miedo! ¿De qué?

—No sé... de una cosa sobrenatural... Anoche, mirad, yo os había oído decir que teníais empeño en que tocara el órgano en la Misa, y ufana con esta distinción pensé arreglar sus registros y templarle, a fin de que hoy os sorprendiese... Vine al coro... sola... abrí la puerta que conduce a la tribuna... en el reloj de la catedral sonaba en aquel momento una hora... no sé cuál... Pero las campanas eran tristísimas y muchas... muchas... estuvieron sonando todo el tiempo que yo permanecí como clavada en el dintel, y aquel tiempo me pareció un siglo.

24. Beatus Augustinus et alii Ecclesiae Patres hac utuntur voce simili ratione qua in monacharum coetibus hodie etiam tua (vestra) caritas (reverentia) adhiberi solet: «Intendat et intellegat caritas vestra», (AUG. P. L. 35, 1476, 28). «Novit enim caritas vestra quod sacrificia illi populo talia data sunt» (AUG. P. L. 35, 1468, 26). «Notum esse arbitror caritati vestrae» (AUG. P. L. 35, 1529, 10). «Operae pretium puto... sermonem facere caritati vestrae». (BERN. P. L. 183, 462, 42). «Litteras caritati tuae». (PELAG. I). «A tua caritate» (BONIF. Pap., Coll. Thess. Ep. 9, p. 32) Cfr. BLAISE, *Dict. des auteurs chrétiens*. Strasburg, 1954 s. v. Cfr. etiam *Reverentia*, *ibid.* et KREBS SCHMALZ, s. v.

25. *Me pareció un siglo*; Cfr. «Dum comuntur, annus est» (TER.)

Sacra aedes hominum frequentia vacabat ac tenebris obscurabatur... Procul... *in intimo* —velut stella, in medio caelo per noctem—, lux elanguens micabat; lucernae erat lux quae ante aram maximam lucet. Cujus tenuissimi radii, dum in densa replicabantur nocte, gravissimum tenebrarum horrorem acrius augebant; et hominem vidi..., ita est, verum dico, bona Mater, hominem vidi silentio et contra locum, quo ego eram, conversum, qui altera manu organi tessellas raptim percurrerebat dum altera pinnas pulsabat..., et organum personabat, et modo quidem miro ac plane singulari... Singulae notae interclusus singultus videbantur intra metallicum tubulum, qui spiritu introrsum compresso trepidabat, et sonum fuscum —qui fere percipi non poterat—, sed tamen rectum justumque reddebat.

Aedis principis horologium horas edere instabat et homo ille in organi tessellis pulsandis perseverabat. Ejus vel aëris aspirationem ego percipiebam... *Cohorruí, neque sanguinis guttam habebam...*; frigore oppressa, toto corpore algebam, fronte vero aestuabam... Tunc inclamare volui, quod perficere tamen non potui... Homo ille oculos in me converterat meque erat intuitus... Intuitus, minime..., nam caecus ille erat..., meus certo erat pater!...

—Eja, Soror, haec mentis commenta ex animo propulsato, quibus prae ille inimicus imbecilla ingenia perturbat. Pia *Pater noster* et *Ave Maria* precatione Beatus Michaël Archangelus, caelestium agminum dux a te honoratur, qui te contra praevos spiritus tueatur. Scapulare, quod beati Pacomii exuvias contigerit —qui in tentationes patronus coram Deo est—, ad collum appendito, et cito, cito, i, et suggestum, ubi est organum, tene; sacri initium continuo fiet et jam christifideles in summa sunt expectatione... Tuus quidem pater caelum habitat, ex quo —non ut metum incutiat, sed ut filiae

La iglesia estaba desterta y oscura. . *Allá lejos, en el fondo*, brillaba como una estrella, perdida en el cielo de la noche, una luz moribunda... la luz de la lámpara que arde en el altar mayor... A sus reflejos debilísimos, que sólo contribuían a hacer más visible todo el profundo horror de las sombras, ví... le ví, madre, no lo dudéis, ví a un hombre que en silencio y vuelto de espaldas hacia el sitio en que yo estaba, recorría con una mano las teclas del órgano, mientras tocaba con la otra sus registros... y el órgano sonaba; pero sonaba de una manera indescriptible. Cada una de sus notas parecía un sollozo ahogado dentro del tubo de metal, que vibraba con el aire comprimido en su hueco, y reproducía el tono sordo, casi imperceptible, pero justo.

Y el reloj de la catedral continuaba dando la hora, y el hombre aquel proseguía recorren-

do las teclas. Yo oía hasta su respiración.

El horror había helado la sangre de mis venas, sentía en mi cuerpo como un frío glacial y en mis venas fuego... Entonces quise gritar, pero no pude. El hombre aquel había vuelto la cara y me había mirado..., digo mal, no me había mirado, porque era ciego... ¡Era mi padre!

—¡Bah!, hermana, desechad esas fantasías con que el enemigo malo procura turbar las imaginaciones débiles... Rezad un *Paternóster* y un *Avemaria* al arcángel San Miguel, jefe de las milicias celestiales, para que os asista contra los malos espíritus. Llevad al cuello un escapulario tocado en la reliquia de San Pacomio, abogado contra las tentaciones, y marchad, marchad a ocupar la tribuna del órgano: la Misa va a comenzar, y ya esperan con impaciencia los fieles... Vuestro padre está en el cielo, y desde allí antes que daros sustos,

mentem singulari concitet ardore —, descendet, qui tanta in hanc sacram caerimoniam pietate aestuaverat.

Cathedram chori in medio Sororum consortio Antistita tenet... Magistri Perezii filia suggestus portam, ut in organi scabello sedeat, trepida manu aperit et sacrificii initium ducitur. Sacrum incipit et ad consecrationem producitur quin quicquam mirum novumque eveniat... Tunc vero organum personat eoque temporis puncto et filiae magistri Perezii clamor exauditur. Antistita, sacrae virgenes, non nulli christifideles ad suggestum advolant.

—En, inspicite, inspicite illum! —inquit puella—, simul oculos in scabellum conjiciens, ex quo tremens stupensque exsurrexerat, ut trepidantibus manibus suggestus *cancellos* apprehenderet.

Omnium oculi eo convertuntur... solum est organum..., nihilo minus organum non cessat personare..., eaque ratione ut tantum Archangeli, *cum suavissimo in Deum ducuntur afflatu et alienatione*, illud imitari possint.

—Nonne, mea Baltassaria, tibi multotiens praedixeram?... Hic implicatus profecto est nodus!... Audin'? Quid ergo?, superiore nocte sacro ad gallinimum nonne adfuisti? At, quid factum sit, tibi certo cognitum... In civium Hispalensium ore haec tantum versatur fama... Reverendus Archiepiscopus vehementer, ac merito, stomachatur... «Ad Beatae Agnetis me praesentem non adfuisse!...; tanto portento ac prodigio non interfuisse!...»; et quorsum tandem?, ut inscitiae nimirum clangorem audiret; nam id tantum fuisse quod fastidiosus ille moderator organi ad beati Bartholomaei in aede principe sit, exsecutus, pervulgatum est. Edixeram..., edixeram ego... Hos effingere ac modulari musicos concentus strabo ille poterit nunquam... fabulae!, fabulae!... Hic implicatissimus est nodus... nodusque ille enimvero *anima erat magistri Perezii*.

Convertit JOSEPHUS M.^a MIR, C. M. F.

bajará a inspirar a su hija en esta ceremonia solemne, para él objeto de tan especial devoción.

La priora fue a ocupar su sillón en el coro en medio de la Comunidad. La hija de maese Pérez abrió con mano temblorosa la puerta de la tribuna para sentarse en el banquillo del órgano, y comenzó la Misa.

Comenzó la Misa y prosiguió sin que ocurriese nada de notable hasta que llegó la consagración. En aquel momento sonó el órgano, y al mismo tiempo que el órgano un grito de la hija de maese Pérez.

La supertora, las monjas y algunos de los fieles corrieron a la tribuna.

—¡Miradle! ¡Miradle! —decía la joven fijando sus desencajados ojos en el banquillo, de donde se había levantado asombrada para agarrarse con sus manos convulsas al *barandal* de la tribuna

Todo el mundo fijó sus miradas en aquel

punto. El órgano estaba solo, y no obstante, el órgano seguía sonando. Sonando como sólo los arcángeles podrían imitarlo *en sus raptos de místico alborozo*.

—¿No os lo dije yo una y mil veces, mi señora doña Baltasara, no os lo dije yo?... ¡Aquí hay busilis! Oídlo; ¡qué!, ¿no estuvisteis anoche en la Misa del Gallo? Pero, en fin, ya sabréis lo que pasó. En toda Sevilla no se habla de otra cosa... El señor arzobispo está hecho, y con razón, una furia... Haber dejado de asistir a Santa Inés; no haber podido presenciar el portento... y ¿para qué?, para oír una cencerreda; porque personas que lo oyeron dicen que lo que hizo el dichoso organista de San Bartolomé en la catedral no fue otra cosa... Si lo decía yo. Eso no puede haberlo tocado el bisojo, mentira..., aquí hay busilis, y el busilis era, en efecto, *el alma de maese Pérez*.

DE CORNELIO NEPOTE

Cornelius Nepos (a. 98-26), unus e tot Romanis rerum scriptoribus, natus est in oppido Ticino (in Gallia Transpadana) anno a. Chr. n. 98, fortasse eodem anno ac Lucretius poëta, qui ex eadem regione atque Nepos oriundus videtur esse: Romae circa annum a. Chr. n. 26 diem supremum Nepos obiit. Intra hos plus quam septuaginta annos litteris omnino deditus est.

Quamquam Cornelius ipse de vita sua nihil scriptum nobis reliquit, tamen ex nonnullis testimoniis vitam Nepotis breviter exarare conamur; quam expositionem duas in partes secernere inducimus animum, ut primo de *hominibus* agamus, quibuscum Cornelius vitam degit, deinde de *operibus* dicamus, quae Nepos composuit.

Quemadmodum Catullus lyricus (a. 87-54) in eadem Gallia Transpadana natus Romam petivit, ut poëtae gloriam ibi assequeretur, ita Cornelius quoque Nepos in caput Italiae profectus est primo, ut item carminibus clarus evaderet; sed paulo post rerum scriptor factus est, quia facilius ei erat eleganti oratione prosa scribere, qua eruditi Romani oblectabantur. Nepos autem fere semper Romae mansisse neque unquam peregrinatus videtur esse, et ideo omne tempus in libros perscribendos consumere potuit.

Nunc jam ad Nepotis *amicos* convertamur. Catullus Nepoti librum versuum suorum dicavit, memor, ut opinor, eorum temporum, cum primum Romae simul morarentur et arte poëtica auctoritatem quandam quaerere studerent. Nepos elegantiam versiculorum Catulli admiratus est. Veri simile est etiam Catullum Epicureum fuisse sicut Nepotem.

Praeter Catullum etiam Lucretium certe cognovit ejusque carmen a Cicerone emendatum et ab Attico editum perlegit; sex libris «de rerum natura» cognitissimis, Lucretium poëtam elegantissimum aestimavit (*Atticus*, 12, 4); magis igitur modum eloquendi hujus artificis poëtici praedicavit; in conventibus societatis Epicureae apud Atticum ambulantis Lucretium, bibliotheca Attici uberrima utentem vel in collegio poëtarum commorantem, videre potuit.

Tertius poëta, quem Nepos laudavit, L. Julius Calidus fuit, vir alias ignotus; Nepos eum poëtam elegantissimum habuit neque minus virum bonum optimisque artibus eruditum. Cornelius certe amicitiam poëtarum colebat, quia ipse olim primitias litterarum arti poëticae delibaverat hujusque artis perpetuo recordatus est.

Accedunt denique Cicero et Atticus. Ad Ciceronem tot epistulas scripsit, ut duo volumina colligerentur, id quod documento est Cornelium Nepotem Ciceronis naturam penitus novisse ipsumque scriptorem elegantem

doctumque nec mediocris ingenii fuisse, quin potius magna apud Romanos eruditos litteratosque auctoritate ob maximam doctrinam acutumque iudicium usum esse. De Ciceronis vita complures libros confecit ejusque opera evulgavit.

Attici postremo vita, quae litteris tradita est, lectores delectabit; Nepos enim monumentum amico immortale hoc libro erexit. Idem Nepos permultos annos una cum illo ditissimo Attico in eodem instituto librorum examinandorum ac describendorum allaboravit et quasi vitam una egit; ita accidit, ut vix umquam epistulam ad Atticum mitteret. Idem Atticus scripta omnia Cornelii Nepotis divulgavit et omnia ejus consilia familiarissime adjuvit; «idem velle atque idem nolle ea demum firma amicitia est»: hoc dictum optime ad hos amicos nobilissimos, ad Atticum et Cornelium quadrat.

Statim a Nepotis amicis ad ejusdem opera numerosa explicanda transeamus.

Nepos juvenis carmina lyrica et jocosa eisdem fere metris atque Catullus fecit; ab hoc scribendi genere mox destitit atque historiae summopere studuit; Nepotis opera historica complures in partes possunt distribui, quae ita vocantur: Chronica, vitae, exempla. «Chronica» historiam populi Romani eodem fere modo conscriptam continent atque illa Chronica Graeca, quae Apollodorus Atheniensis scripsit, ab antiquissimis temporibus initium sumens quae obscuritatibus obruta ante urbem conditam exstabant, res Romanas cum Graecis comparans, usque ad Ciceronis aetatem progrediens utiles annales instituit, ubi res eodem anno gestae Romanorum et Graecorum in eadem linea juxta positae erant. Eadem porro ratione, qua Nepos in «Chronicis» componendis utebatur, etiam Atticus amicus «annales» constituit. «Vitae» vero Nepoti incredibilem gloriam compararunt, quae septendecim e libris constabant maximamque partem perierunt. Cornelius scripsit de imperatoribus Graecis et Romanis, de regibus, viris historicis, poetis, philosophis, oratoribus, grammaticis, ut brevi comprehendam: historiam hominum sub variis rationibus inspectam; paene omnes viros illustres vitae actuosae et menti deditae seu «activae et speculativae» hisce descriptionibus tamquam statuas vel imagines in museo culturae humanitatis collegit et enarravit; in illis «vitis» id praeceptum servavit, quod rhetores docuerunt, ut ait Suetonius «de rhetoribus» 1: «viros illustres laudare vel vituperare», et Sanctus Hieronymus (*Patrol. Latina* 22, 1108, epist. 130, Migne) «rhetorum disciplina ornare» idem professus est. Hieronymus «de viris illustribus» scribens «vitas» Nepotis imitari temptavit; et Cornelius multo latius indoles moresque clarorum hominum monstravit quam Doctor ille Ecclesiae, qui strictim et cursim scriptores profanos et religiosos adumbravit. Scribens «vitas» antiquorum hominum clam de suo tempore civiumque moribus iudicabat eosque damnabat idque probare optabat illos illustres viros melius quam aequales vixisse; ut exemplum e vita Agesilai afferam 4, 2: «(Agesilaus...) dicto

audiens fuit jussis absentium magistratum, ut si privatus in comitio esset Sparta; cuius exemplum utinam imperatores nostri sequi voluissent! Hoc certe consilio «vitas» velut imagines veteres virorum fortium proposuit; ut centum annis post Plutarchus Graecus, ita Cornelius Nepos aequae ac Varro scriptor Romanus vitas Graecorum et Romanorum juxta posuit. Tres et viginti vitae ducum Graecorum et duae vitae Romanae (Catonis et Attici) aetatem tulerunt. Praeterea id genus viri, qui in toga fuerunt praeclari, a Nepote descripti sunt. Commemoranda deinde «exempla» sunt, quae quasi παράδοξα, id est: singulares casus rerum vel virtutum mirabilium ostendebant et quinque libros explebant; de «geographia» quoque scriptum in lucem edidit, quod periit. Postremo «epistulis», quas ad Ciceronem misit, duobus voluminibus congestis notus erat Nepos, qui nullo magistratu fungebatur, semper Romae versabatur, scriptitabat, Ciceronem saepissime peregrinanti de rebus Romanis certiore faciebat.

Studio igitur litterarum et librorum ductus Nepos juvenis aliquando Romam, orbis terrarum caput, petivit et dimidium fere saeculi illic ingenio Ciceronis et Attici solum modo beatus commoratus est. Multitudine ac varietate cogitationum Ciceronis amplissimos impulsus scribendi accepit, et a magnifica Attici bibliotheca copias rerum ad novos libros componendos plurimas depromere poterat; Nepos auctor tot librorum potissimum Attici liberalitate nitebatur; magis ab Epicureis quam ab Academicis stabat, quoniam intimus Attici erat, qui (Cfr. *Latomus* IX, 1950, 469) Epicuri sectae favebat; nihilo minus viget etiam nostris temporibus ea opinio Cornelii, quam ad Ciceronem scripsit: «Tantum abest, ut ego magistratam esse putem vitae philosophiam beataeque vitae perfectricem, ut nullis magis existimem opus esse magistris vivendi quam plerisque, qui in ea disputanda versantur; video enim magnam partem eorum, qui in schola de pudore et continentia praecipiant argutissime, eosdem in omnium libidinum cupiditatibus vivere» (LACTANTIUS, *Div. inst.* III, 15, 10).

Cornelius Nepos, vir haud parvi ingenii, Atticum et Ciceronem doctissimos aequalium cives ditissimosque in amicorum habuit numero, et quasi columen actuosae industriae et doctrinae fuit; quam ob rem hunc quoque Cornelium pluris quam fieri solet facere debemus; quod tam exiguae tantorum Nepotis operum reliquiae ad nos pervenerunt, est cur vix digne aestimetur. Ceterum hujus auctoris genus dicendi has prae se fert virtutes: rerum scriptor est perspicuus et dilucidus, simpliciter narrat, ejus lingua erudita et jejuna scriptorem ostendit virum investigantem et sapientem. Etsi Quintilianus Nepotem non in iis scriptoribus numerat, qui digni studio legendi sint, tamen nos Cornelium in album auctorum Latinorum recipere non dubitamus; nam nos tot saeculis post longe aliter de Latinitate scriptorum judicamus atque illi veteres Romani; etenim nos plura scripta Latina mantibus tenemus pluresque inscriptiones novimus et inter se comparare possu-

mus; praeterea nos quidem sine ira, invidia, obtreptatione, factione genus eloquendi illorum priscorum Romanorum dijudicamus, ut rectius de virtutibus dicendi omnium auctorum Latinorum nobis liceat iudicium ferre; inde sequitur ut etiam Nepotis «vitas» pueris saepissime lectitandas semper commendemus.

Quemadmodum denique quilibet rerum scriptor antiquus in descriptionibus hominum sententias morales dictionis ornandae gratia adhibere solet, eodem pacto etiam Cornelius Nepos in «vitis» complura dicta generaliora profert, quae hoc loco libet addere, praesertim quibus pars quidem philosophiae contineatur, quam Nepos ipse sequebatur.

SENTENTIAE EX VITIS CORNELII NEPOTIS SUMPTAE


1. Per se virtus sine fortuna ponderanda est (*Thrasybulus* 1, 1).
2. Singularis ejus existimatur prudentia, qui ex tot tamque gravibus procellis civilibus ad incolumitatem pervenit (*Atticus* 10, 5).
3. Facile existimari potest prudentiam quodam modo esse divinationem (*Atticus* 16, 4).
4. Non intemperanter concupiscere, quod a plurimis videas, continentis debet duci, et potius diligentia quam pretio parare non mediocris est industriae (*Atticus* 13, 4).
5. Quantae est sapientiae, eorum retinere usum benevolentiamque, inter quos maximarum rerum non solum aemulatio, sed obtreptatio intercedit (*Atticus* 20, 5).
6. Principum philosophorum ita percepta (*Atticus*) habuit praecepta, ut iis ad vitam agendam, non ad ostentationem uteretur (*Atticus* 17, 3).
7. Adeo veritatis diligens (erat *Epaminondas*), ut ne joco quidem mentiretur (*Epaminondas* 3, 1).
8. Quod interdum non minus prodest quam diserte dicere: studiosus audiendi (erat): ex hoc enim facillime disci arbitrabatur (*Epaminondas* 3, 2).
9. Nimia fiducia quantae calamitati solet esse! (*Pelopidas* 3, 1).
10. Intemperantia nimiaeque licentia omnia perdunt (*Eumenes* 8, 2).
11. Magnos homines virtute metimur, non fortuna (*Eumenes* 1, 1).
12. Invidia gloriae comes est (*Chabrias* 3, 3).
13. Suos cuique mores plerumque conciliat fortuna (*Atticus* 19, 1).
14. Fortunae varietas (*Timotheus* 4, 1).
15. Fortuna sua mobilitate demergit (*Dion* 6, 1).

16. Inconsideratio in secunda quam in adversa erat fortuna (*Dion* 5, 1).
17. Nihil in bello oportet contemni (*Thrasybulus* 2, 3).
18. Mater timidi flere non solet (*Thrasybulus* 2, 4).
19. Honores quondam fuerunt rari et tenues ob eamque causam gloriosi (*Miltiades* 6, 2).
20. Praestat honesta mors turpi vitae (*Chabrias* 4, 3).
21. Magnae saepe res non ita magnis copiis sunt gestae (*Pelopidas* 2, 3).
22. Omnes fere principes... tantum se ab invidia putant futuros, quantum a conspectu suorum recesserint (*Chabrias* 3, 4).
23. Honoris coronam, ... quam amor civium et non vis expresserat, nullam habuit invidiam magnaque fuit gloria (*Thrasybulus* 4, 1).
24. Omnes et dicuntur et habentur tyranni, qui potestate sunt perpetua in ea civitate, quae libertate usa est (*Miltiades* 8, 3).
25. Ea est consuetudo regia, ut casus adversos hominibus tribuant, secundos fortunae suae (*Datames* 5, 4).
26. Idem firmissimi solent esse amici, qui constantes fuerunt inimici (*Lysander* 2, 2).
27. Omnes Boeotii magis firmitati corporis quam ingenii acumini servant (*Alcibiades* 11, 3).
28. Semper habitii sunt fortissimi (milites), qui summam imperii potirentur (*Eumenes* 3, 4).

AEMILIUS [EMIL] ORTH

NOVA ET VETERA

GEOMETRIA



1. Liberalium artium septem communiter apud auctores olim numerabantur: lingua, tropus, ratio, numerus, tenor, angulus, astra. Id est, nomenclatura earum propria, grammatica, rhetorica, dialectica, arithmetica, musica, geometria, astronomia. *Angulus* vero geometriae, de qua hic summam referam, tanquam symbolum, neque id immerito, adhibebatur.

Nominis quidem ratione geometria, nihil aliud atque mensura terrae sonare videatur: a vocibus Graecis $\gamma\eta$ = terra, et $\mu\acute{\epsilon}\tau\rho\nu$ = mensura. Historia autem teste, illis orta est temporibus geometrica ars, quibus Aegypti populi, post Nili periodicas easque solo uberrimas alluviones, terras denuo componere inter cives adigebantur.

Re tamen vera, aetate nostra geometria tanquam iusta inter scientias a sapientibus uno ore aestimatur, ususque maximi est in aliis hujus temporis scientiis atque artibus, inter quas: agrimensura, architectura, astronomia, ballistica, delineatio, navigatio, physica, pictura, sculptura.

Geometria pars est disciplinarum mathematicarum, quae de proprietatibus, mensura extensionisque relationibus minutatim disserit. Pervariae certe hujus modi scientiae in praesentiarum genera. Etenim est geometria *analytica*: quae extensionis proprietatibus per aequationes repraesentatis studet. Geometria *plana*: quae figuras geometricas, quarum omnia puncta in eodem

sunt plano, considerat. Geometria *spatii*: quae figuras, quarum puncta non omnia sunt in eodem plano.

Et est Geometria *descriptiva*: cujus est figuras et corpora, quae sunt quolibet modo in spatio, ita in uno eodemque plano repraesentare, ut tamen unius Geometriae planae ope problemata solvat sese ad formas geometricas trium dimensionum referentia. Et geometria *euclidiana*: quae laudato Euclidis postulati tota innititur. Et geometria *logarithmica*: algebrae nempe scientiae ad geometriam accomodatio, ad certa extensionis problemata, supputationis ope, resolvenda.

2. Quasi totius scientiae geometricae elementum punctum, quod in triplicem dimensionem ratione vergens, lineam, superficiem, corpus generare ponitur. Non idem est punctum mathematicum atque physicum punctum. De re sapientes multum subtiliterque, (philosophi, physici, mathematici), disputare invenies.

Non nullas, supera in tabula picta, figuras geometricas recole, relique geometricae brevem nomenclaturam memoriae manda.

- 1 *Cuadrado*, quadratum
- 2 *Pentágono*, Pentagōnum
- 3 *Hexágono*, Hexagōnum
- 4 *Heptágono*, Heptagōnum
- 5 *Octógono*, Octogōnum
- 6 *Angulo entrante*, Angulus intrans
- 7 *Polígonos semejantes*, Polygōna similia
- 8 *Polígono inscrito*, Polygōnum inscriptum
- 9 *Polígono circunscrito*, Polygōnum circumscriptum
- 10 *Polígono estrellado*, Polygōnum stellatum.

<i>Apotéma</i> , apothema, atis	<i>Hélice</i> , hélix, icis
<i>Arista</i> , arista	<i>Hemisferio</i> , hemisphaerium
<i>Centro</i> , centrum	<i>Hipérbola</i> , hyperbola
<i>Cilindro</i> , cylindrus	<i>Hipotenusa</i> , hypotenusa
<i>Círculo</i> , circulus	<i>Lado</i> , latus, eris
<i>Circunferencia</i> , circumductio	<i>Línea</i> , línea
<i>Cómpas</i> , circinus	<i>Nivel</i> , amussis, is
<i>Cono</i> , cōnus	<i>Parábola</i> , parabola
<i>Corona</i> , corona	<i>Paralelepípedo</i> , parallelepipedum
<i>Cubo</i> , cubus	<i>Paralelogramo</i> , parallelogrammum
<i>Cuadrante</i> , quadrans	<i>Parámide</i> , pyramis, idis
<i>Diámetro</i> , diámetros, i (f)	<i>Plano</i> , planum
<i>Eje</i> , axis, is	<i>Plomada</i> , perpendiculum
<i>Elipse</i> , ellipsis, is	<i>Polígono</i> , polygōnum
<i>Escuadra</i> , norma	<i>Prisma</i> , prisma, atis
<i>Esfera</i> , sphaera	<i>Punto</i> , punctum
<i>Espiral</i> , spirra	<i>Radio</i> , radius; semidiámetros, i (f)
<i>Goniómetro</i> , goniometrum	<i>Regla</i> , regula

<i>Rombo</i> , rhombus	<i>Superficie</i> , superficies, ei,
<i>Sagita</i> , sagitta	<i>Trapezio</i> , trapezium
<i>Sector</i> , sector	<i>Triángulo</i> , triangulus
<i>Segmento</i> , segmentum	<i>Vértice</i> , vertex, icis
<i>Semicírculo</i> , semicirculus	<i>Zona</i> , zona

3. *Linea est extensio una in dimensione relata: seu longitudo. Variæ autem in scientia geometrica consideratur, ex quo et varia nomenclatura linearis: linea circularis, curva, diagonalis, fracta, inclinata, ovata, parallela, perpendicularis, recta, secans, tangens, verticalis, cet. Usus paene internationalis omnes hujus modi voces, aliaque non paucae in geometria vulgo adhibitæ.*

Angulus est indefinita plani portio duabus vero lineis, quæ ab uno eodemque puncto oriuntur, limitati. En tibi angulorum notiores species: acutus, rectus, obtusus; diedrus, triedrus, polyedrus; curvilineus, mixtilineus rectilineus; adjacens, alternus, complementarius, supplementarius, cet.

Maximum certe in geometria anguli momentum, qui totius scientiæ trigonometricæ est basis et fundamentum. Trigonometria pars est mathematicarum, quæ de resolutione triangulorum cum planorum tum sphaericorum, unius supputationis calculive ope, disserit. Quæ quidem scientia maximæ utilitatis in astronomia, ballistica, navigatione marina et aëria vel aviatione.

Polygonus portio plani est variis lineis rectis plus quattuor, limitati. Tandem circulus figura plana, ex motu rectæ circa fixam sui extremitatem sese vertentis, exurgens.

*Sed hæc hactenus. Circuli usus in arte mechanica est plaustorum rota, cujus explanatio hac ratione ab auctore antiquo contrahitur: «Ceterum currus procedit conversione rotæ circa axem. Rotæ curvatura dicitur absis: absides sunt sex, totidemque canthi quibus absis munitur. Medium rotæ seu centrum est modiolus: huic hinc radii, illinc absidi innituntur. Embolium seu obex est paxillus, tubulo modiali insertus, rotæque præfixus, ne excidat. Radium quoque vocant cuneum illum seu clavum ferreum, jugi foramini immissum. Est et alius paxillus ferreus, (cuneus, clavus, obex) qui subjugia lora seu catenas subjuges continet. Annuli seu orbiculi ferrei, axi inditi, ad prohibendum ejus attritum, a quibusdam vocantur eurae, Græce εὐραί, quasi famulatrices». (M. PEXENFELDER, *Apparatus Eruditionis*, pag. 274).*

Circino dimetiri, medir con el compás

Ad circinum, en círculo

Ad normam alicujus sapiens, sabio a tenor de alguno

Versari circum axem caeli, girar en torno del eje del mundo

Latus unum castrorum, uno de los lados del campamento

Perpendiculari et linea uti, servirse de la plomada y del cordel

Ad lineam ferri, tener un movimiento de caída perpendicular

Ad perpendicularum rectis lineis, *perpendicularmente en línea recta*
 Lineam scribere, *trazar una línea*
 Linea circumcurrens, *circunferencia*
 Primas lineas ducere, *esbozar*
 Ad amussim, *exactamente*
 Obliquam facere imaginem, *representar a uno de perfil*
 Ab obliquo, in obliquum, *al sesgo, oblicuamente*
 Ad perpendicularum, *en dirección vertical*
 In rectum, *siguiendo la línea recta*
 Deorsum rectum, *de arriba abajo en derecha*
 Rectis lineis, *en líneas rectas (horizontales)*
 Ad regulam aliquid dirigere, *conformar algo con la regla*
 Aetnae vertex, *la punta del Etna*
 Caeli vertex, *el polo*
 Zona nivalis, *zona glacial*
 Zona perusta, *zona tórrida*
 Corpuscula angulata, *moléculas angulosas*
 Mathematicorum ratione concludere aliquid, *razonar al modo de los matemáticos*
 Formas geometricas describere, *dibujar figuras geométricas*
 Aliquem interrogare quaedam de geometrica dimensione quadrati, *hacer preguntas de geometría sobre la dimensión del cuadrado*
 Punctum temporis, *durante un instante*
 Puncto temporis eodem, *al mismo instante*
 Punctum est, quod vivimus, *dura nuestra vida un momento.*

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.

DE SE IPSE

Non sum qui fueram: periit pars maxima nostri;
hoc quoque quod superest languor et horror habet.
*Myrtus sicca jacet, dispersis laurus et ipsa
frondibus —hinc puero spes mihi quanta!— jacet:
Ex quo me dirus Mars atque Licentia vestes
tinctas iusserunt sanguine ferre suas,
mens languet, vitiis pectus scatet atque necare
ars est facta mihi, gloria facta mihi.
Si quando at vitam ferro stat rumpere, saevo
mox mihi bina obstant consiliumque fugant:
gloria me avertit, deterret matris imago!
Sic mihi, sorti, aliis vincula serva gero.
Hinc meliora videns, sector peiora proboque:
saepe mori exopto, meque necare tremo.*

AD ITALIAM

*Te matrem musis sedemque deamque vocabant
gentes barbaricae, quae sua vincla feræ
conjecere tibi: quae nobis gloria pressis
tam priscum, varium, turpe levabat onus.
Si, Italia, ob culpas, annos fatumque nefandum
Romulidum virtus consiliumque ruit,
sermo ille antiquus post tempora tanta vigebat,
exstitit et servis hinc diadema comis.
Has quoque reliquias genio, monumenta potentis
imperii, flammis urere perge tuo,
caelestemque, sonat quae tusco ex ore, loquelam
corrumpas miscens verba petita foris.
Sic tumeat victor te jam spoliasse, magisque
quod tu sermoni barbariem intuleris.*

Convertit ex brevibus carminibus Hugonis Foscolo ¹:

JOSEPHUS MORABITO

Messanae

1 Cfr. de Hugonis Foscolo vita et operibus, *Gymnasium* [Torino], N. 14, 1956, p. 485.

IN OFFICIO NOSTRO

1. Officium nostrum, cuius praecipua pars ante oculos obversatur, commode et eleganter est instructum.

2. In medio stat officii rector¹⁸, qui epistulam socio mittendam manibus tenet ac legit. Rector sejunctum ab aliis officialibus et administris habet tractatorium²⁴, ubi negotia et documenta principaliora per se ipse tractat et facilius expedit.

1. **officium** [*oficina - officio*]: Vocis Hispanicae *oficina* «sensus inquiri ac perpendi oportet. Nam si «est locus in quo artifices et opera praeparant et faciunt» respondet voci «officinae» quae latine idem significat (ἐργαστήριον, *officina, atelier, laboratoire*); si vero «locum significamus in quo privati aut publici administri laborant», vocem «officium» adhibere possumus, nam apud Plinium *epist.* 1, 5 scriptum legimus: «Paucos post dies ipse me Regulus convenit in praetoris officio»; quo sensu a D. Augustino (*Coll. in D. 1, 8*) adhibetur. Sunt tamen qui pro officio «sedem» dicant, et «officinam (scriptoriam vel quaestoriam)» (cfr. *Novissimo Dictionario de la Lengua Castellana*, GARNIER. Paris); quae voces suis aptae locis usurpari poterunt. «Officio» utuntur: JACOBELLI, (*In campo Latinitatis Novi Flores*, V. U.): «Officium publicae rerum publicationis - rebus publicandis». *Officio di publicità* «Quidam in officio collega nimis diligens visus est». (AVENARIUS, *PAL. LAT. XVIII* (1948), 481); COGNASSO habet «tractatorium, scriptorium» quae voces ad significandum *despacho, gabinete* (cfr. *infra*) aptius adhiberi possunt; «tractatorium, tabularium» (*Societas Latina*, I (1933) 60 s. v. *bureau*); «distribitorium operarium» (*Alma Roma*).


2. **rector - moderator**: Ex locis a FORCELLINIO commemoratis, quadam translatione facta, sensus, qui apud nos est *el Director*, *M. le Directeur*, facile deducitur. KREBS-SCHMALZ, (*Antibarbarus*, s. v. *rector*) vocem imprimis ad

scholam seu ludum litterarium adhiberi asserunt; sed ad omnes rectores vocem deducti posse arbitramur.

officialibus: Vocem «officialis» retinendam censeo, nam quamquam ad ministrum magistratūs saepe refertur, tamen de his qui in collegio seu societate munere funguntur interdum etiam dicitur (cfr. FORCELLINI, s. v.; MENGE - MÜLLER, *Langenscheidts Taschenwörterbuch*, Lateinisch (15^a ed 1955), ubi invenitur vox «officialis» asterisco notata (= *Beamter* = *empleado, funcionario*); BACCI, (s. v. *ufficiale*): «quae vox significat ministrum alicujus magistratus, vel ministrum in aliquo publico munere...»).

«Officiarium» vero, qui prius (XI (1943) p. 6) in *Societate Latina* propositus est atque G. LURZIO probatur (*Ibid.* 1952, p. 15), rejiciendum censeo, cum «officialis» a scriptoribus antiquis adhibeatur et a recentibus (cfr. DUCANGE, *Glossarium ad scriptores mediae et infimae Latinitatis*); «officiarius» autem ibi non invenitur. Si quis tamen puriorem requirat Latinitatem pro «officiali», «administrum» adhibeat: «qui ministrat, qui alicui manum sive opem praebet, qui alicui in manibus est».

tractatorium [*despacho*]: «Locus in quo causae et aliae res aguntur» (cfr. SIDON. *Ep.* 1, 7, 9; FORCELLINI et BLAISE, *Dictionnaire Latin - Fr. des auteurs chr.*, s. v.). COGNASSO habet etiam «scriptorium», quod ex Ducangio est «cella in monasteriis scriptioni librorum destinata».



3. Administrator¹⁰ vero praecipue officium suis umeris sustinet, qui a primo mane in mensa scriptoria assidue laborat: in qua chartarum purarum acervum¹, regulam in gradus diductam³, graphium⁵, gummi deletile⁴, brac-

3. **administrator - administer:** adhibentur a Cicerone aliisque scriptoribus.

mensa scriptoria: Cfr. JACOBELLI (*Novi Flores*, s. v. *scriptoria*), COGNASSO (s. v. *scriptorio*), qui «scriptorium» quoque profert, sed ut supra diximus, ex Ducangio, aptius ad «locum seu cellam», quam ad ipsam mensam refertur.

chartarum purarum [*cuartilla, papel sin escribir*]: De aliis chartarum generibus cfr. ISID. *Orig.* 6, 10 et PONTANUM in libro *Guide de la conversation latine*, 6.^e édit., p. 219.

regulam in gradus diductam [*regla graduada*]: Plinius (*Hist. Nat.*, 13, 4, 7 (29)) adhibet adjectivum «gradatus»: «Densis gradatissimeque corticum pollicibus».

graphium [*lápiz - crayon - lapis*]: Stilus ferreus, deinde osseus, quo veteres scribere solebant (cfr. FORCELLINI; CAPELLANUS - LAMER -

JIMÉNEZ, *Guta de la conversación Latina*, p. 93-94); alii dicunt: «scriptorium», nam «graphium graece, latine scriptorium dicitur» (ISID. *Orig.* 6, 9, 2); et etiam: «graphis, idis»: «instrumentum quo deformamus» seu delineamus (cfr. *Candidatus Latinus*, II (1929), 42); vel «plumbum» (CAPELLANUS - LAMER - JIMÉNEZ, *Guta...* p. 94); VAN TORRE: «plumbo ducam lineas secundum regulam» (Cfr. *Guide de la conversation lat.*, p. 223; MENGE, *Langenscheidts*, s. v. *Bleistift*); alii: «stilus plumbo instructus»; «stilus plumbeus» (ZENONE); «lapis» (CAPELLANUS - LAMER - JIMÉNEZ, p. 94); BACCI: «lapis scriptorius»; COGNASSO: «haematites»; sed, ut opinor, si sit rubri coloris, nam «ibi et haematites magnes sanguinei coloris» (PLIN. *Hist. Nat.*, 36, 16, 25 (129)); tamen a COGNASSO saepius adhibetur pro simplici graphito (nigri coloris), cfr. *Colloquia Latina, Scriptio*, p. 86.

gummi deletile [*goma de borrar*]: «Gummi, cummi, commi, gummis, cummis» apud

chium flexibile electricum², ephemeridem rebus commemorandis cum ejusdem sustentaculo⁶, stilographi tenaculum⁷ perspicue vides. Horologium brachiale⁸ sinistra manu gestat, ad dextram vero telephōnum⁹ habet.

scriptores habentur; «deletilis» est apud Varonem. COGNASSO (*Il Latino*, s. v. gomma): *delectile*: mendose scriptum pro «deletile»

bracchium flexibile [*flexo, brazo eléctrico*]: Metaphora ducta a corpore dicitur de maris brachiis, de terrarum tractibus, de munitio-nibus, de machinis, de instrumentis, de navibus, cet.; eaque translatio facile ad «bracchium electricum» deducitur, ut apud nos eventit. «Flexibilis» legimus apud Ciceronem, «flexilis» apud Plinium et Ovidium.

ephemeridem rebus commemorandis [*bloque (bloc)-bufete*]: «Ephemeris, liber in quo res gestae per singulos dies scribuntur (FORCELLINI, s. v.); addidi «rebus commemorandis» ut aptius rem significarem.

sustentaculo [*portabloque*]: «Id quod aliquid sustinet»: «vitium sustentacula» (cfr. FORCELLINI, s. v.).

stilographi: BACCI habet: «stilus atramento instructus, calamus stilographicus, graphium atramento instructum»; CAPELLANUS · LAMER · JIMÉNEZ (*Guta...*, p. 94): «graphium atramento repletum, graphium atramentarium, stilographicum»; JOVÉ: «stilographum» (*Candid. Lat.*, I (1928), p. 36); COGNASSO: «calamus jugis» (*Il Latino*, s. v. *stilografico*); «stilographum, calamus completivus, lapis atramentarius, fistula scriptoria, calamus complitivus (*sic*) graphis, stylographus» (*Il Latino*, s. v. *penna stilografica*); «calamus scriptorius» (COGNASSO, *Colloquia Latina*, p. 165); MENGE-MÜLLER (s. v. *Füllfederhalter*): «calamus atramenti plenus, graphium atramentarium»; WAGNER: «calamus implebilis, stylographus, graphium, atramentarium vel atramento repletum» (*Dictionarium rerum recentissimarum seu modernarum Hungarico-Latinum*, s. v. *íöltőtoll*). — Ex his igitur aptiora erunt verba: «calamus stilographicus» vel «stilographum», ex adjectivo «stilographus» deductum (cfr. «chirographus, histographus, geographus, cosmographus», cet.

GRADENWITZ *Laterculi vocum Latinarum*, Leipzig 1904); «stilographium» vero quod quidam dixerunt, equidem non probo, nam est substantivi repetitio ejusdem sensus = «stilus · graphium»; in «stilographo» autem primaevus vocis sensus reperitur qui a Prof. COROMINAS (*Diccionario crítico-etimológico de la lengua castellana*) commemoratur: «*Estilográfico*, tomado del ingl. *stylographic* [1880], hoy poco usado, compuesto de *stilus* «punción de escribir» y *γράφω* «escribir», en el sentido «que escribe a manera de estilo». Quod autem de «stilographo» dixi, eadem de «telegrapho, phonographo», cet. dicendum censeo; nam hae voces non sunt scribendae: «telegraphium = «longe-stilus», sed «tele-graphum» (*γράφω*) = «id (instrumentum) quod longe scribit»; neque «phono-graphium» = «vox-stilus», sed «phono-graphum» (*γράφω*) = «id (instrumentum) quod vocem inscribit et reddit». — Retractus igitur videtur locus P. Springhetti, (*Institutiones stili Latini*, p. 111 d). «Melius instrumenta per neutrum genus efferuntur: *telegraphium, phonographium* (*graphium* invenitur jam in Seneca et Ovidio), *telephonium*, vel *telepho-num*, etc.; non autem *telegraphos* vel *telegraphus*, etc.».

tenaculum: «Id quo aliquid tenetur».

horologium brachiale: «brachiale» dixi, quod haberi potest ut adjectivum neutrum (*brachialis, e*), «quod ad brachium spectat, quod in brachio fertur»; vel fortasse ut substantivum «brachiale»: «circulus armillae modo in ornamentum brachii» (cfr. FORCELLINI, s. v.) alii substantivo (horologic) adjunctum. DUMAINE habet: «horologium in armilla».

telephōnum: Quae vox a *τῆλε* «procul» [non vero a *τέλος* = «lontananza»] et *φωνή* procedit, et ita scribendum censeo ut Lurzius (*Societas Latina*, 1952, p. 20) monet (*nicht* «telephonium»); Bacci vero probat in primis «telephonum» sed et «telephonon, telephonum,

4. Mensula, quae ad laevam administratoris est, maximam habet utilitatem administris et commodum; cui imposita sunt documentorum chartophylacium¹¹, atramentarium¹², tinctorium signatorium¹³, sigillum¹⁴, epistularum staterula¹⁵. Litteras et fasciculos quae ad epistularum diribitorium sunt deferenda, in ea apparamus; suisque loculis chartae epistolares, chartulae cursoriae seu postales, scidulae salutoriae, tenuissima folia transcripti-

telephonus»; SPRINGHETTI (*Institutiones stili Lat.*, p. 101) habet «*telephonium*, vel *telephorum*, (cfr. supra s. v. «*telegraphi*»); DUMAINE: «*telephonium*» (*Conversations lat.*, n. 33, p. 257); WAGNER: «*telephorum*» (*Dictionarium...*, s. v. «*távbeszélő*»); MIR (*Nova et Vetera*, p. 65): «*telephono colloqui*»; JACOBELLI (*Novi flores*, s. v. «*telefono*» [Vox Urbis]: «*telephonus*». Audacius tamen — ut opinor — Dr HANS LIS — ceterum egregius de nova Latinitate scriptor — scripsit: «*Quae Georgius Lurztus... hac de re foras dedit* (vid. *Soc. Lat.* 1952, p. 20), omni latinitate carent. Sed meo arbitrato fieri potest, ut meliora pro nominibus propositis substituatur. Si enim a verbo transloquendi proficiscimur, fundamentum habemus unde nomina diducimus insequentia: *Telepho*: instrumentum translocutorium — *telephonieren*: transloqui... — Et alia profert ab hac locutione verba derivata quae neque Baccio neque nobis omnino probantur: «*Ab aliis ponitur: «translocutorium» (telefono)...; attamen ejusmodi voces neque habentur apud Latinitatis scriptores, neque rem significant (= parlare attraverso)» BACCI).*

4. **chartophylacium** [*carpeta - archivo*]: «*chartophylax, epistularium*» (cfr. PALAESTRA LATINA, XXI (1951, p. 112), proposueram; «*epistularium*» ambiguum est cl. viro Holzer (PAL. LAT.), XXII (1951), p. 133); «*chartophylax*» emendavi in «*chartophylacium*» quod jam apud Gregorium Magnum (*Ep.* 7, 128, II, p. 225, 19; BLAISE, *Dictionnaire latin-français des auteurs chrétiens*; NIERMEYER, *Mediae Latinitatis lexicon Minus*, s. v.) invenitur sensu chartarii = *archives-archivé*.

atramentarium [*tintero*]: (cfr. FORCELLINI, BACCI, COGNASSO (*Il Latino*, s. v. «*calamaio*»; *Id. Colloquia Latina*, p. 190), PONTANUS, (*Guide de la conversation latine*, p. 220); JOVÉ (*Candidatus*

Latinus, I (1928), p. 36): «*atramenti vas, vasculum*» (cfr. etiam COGNASSO, *Coll. Lat.*, p. 181)

tinctorium signatorium [*tampón*]: «*tinctorium*»: «*id quo aliquid tingitur*»; cui addit «*signatorium*»: «*ad signandum*». ut rem subtilius designarem

sigillum [*sello*]: «*Images quae annulo signatorio in cera aliave materia imprimuntur, obsignandis litteris, amphoris, scrinis, etc. sigillo, bollo, cammeo, σφραγιστήρ*» (FORCELLINI, s. v.).

epistularum staterula [*pesacartas*]: «*Staterula ad librandas epistulas*» (JACOBELLI, *Novi flores*, s. v. «*pesalettere*» [Vox Urbis])

epistularum diribitorium [*Oficina de Correos*]: COGNASSO «*domus tabellaria, aedes tabellariae, publica epistularum mensa, litterarum diribitorium*» (*Il latino* s. v. «*postale (ufficio)*»; BACCI, «*publicum epistularum diribitorium*» s. v. «*posta*»; MENGE-MÜLLER, (*Langenscheidts Taschenwörterbuch*, s. v. «*Postgebäude*») «*aedes tabellariae*».

loculis [*cajones*]: «*Capsula continendae pecuniae et ejusmodi pretiosis rebus, quae diligenter custodiri solent, cassettina, scutola, scrignetto*: adhibeturque semper in plurali numero, fortasse quia ejusmodi capsulae pluribus constabant loculamentis ad varia pecuniarum, genera distinguenda...» (FORCELLINI, s. v.)

chartulae cursoriae [*tarjeta postal*]: COGNASSO habet: «*cursoria chartula*» (*Il latino*, s. v. «*cartolina postale*»); BACCI: «*publici cursus chartula, vel scida, vel scidula; — cursualis chartula, vel scida*». — Admitti etiam potest, ut videtur, «*chartula postalis*»; de voce «*posta postalis*» cfr. *Palaestra Latina*, XXVI (1956), 25.

cia, involucra reconduntur; neque desunt perforaculum, quo epistulae, documenta, scripta ad marginem perforantur ut deinde in chartulario asserventur; neque uncinatorium quo uncinis ferreis pagellae uno ictu conectuntur.

5. Ad fenestram vitream³² sedet officialis³³ vel ab actis, qui documenta, epistulas, scidas, quae administrator et rector jubent aut dictant, praeparat et conficit.

6. Quid tu vero facis, adulescens¹⁷, qui ad machinam scriptoriam assides?

—Moderatoris¹⁸ et administratoris mandata accurate perficio; duo nobis praesto sunt dactylógrapha²⁰, quibus cum non utimur tegumento²⁰ contegimus. Nunc commodum rogationem¹⁶ supremo societatis moderatori scripsi; rectorem¹⁸ alia documenta mihi traditurum cogitabam, sed ad scrinium²² rec-

scidulae salutoriae [tarjeta de visita]: «Saluatorius» est apud Plinium, «ad salutandum pertinens» (FORCELLINI, s. v.).

folia transcripticia [papel de calco]: Sic ex *Alma Roma* ([FORNARI], XXIV (1937), 45); «chartam exscriptivam» proposuerat jam pridem JOVEUS (*Alma Roma*, XIV (1927), 49).

involucra [sobre]: cfr. COGNASSO et BACCI, qui et habet «epistulae integumentum» (s. v. *busta*).

perforaculum [taladrador]: «Parva terebra: est a «perforo», *succhiello*, τρύπανον» (cfr. FORCELLINI, s. v.).

chartulario [archivador]: cfr. *Palaestra Latina*, XXI (1951), 112.

uncinatorium [máquina de grapas]. Nomen a supino «uncinatum» (e verbo «uncino»), adjecto suffixo *-orium*: instrumentum quo res uncinantur, copulantur Rem et vocem diutius mente evolvi, neque alia suppetit vox antiqua vel nuper efficta; doctores sententiam proferant, quibus fortasse grata erit locutio «machina uncinandis chartis».

uncinis [grapas]: Sensu parum deflexo, cfr. FORCELLINI, s. v.; forsitan «uncus» etiam adhiberi possit: «uncus enim est baculus vel ferramentum incurvum et in sese retortum, ἄγκυρα, ἀγκιστρον (It. *uncino*, *rampino*; Fr. *crochet*, *crampon*, *grappin*; Hisp. *garabatillo*, *harpón*, *gancho*; Germ. *der Haken*, *Widerhaken*, *Klammer*; Angl. *a hook*, *crook*); cujus varium pro vario usu genus erat».

5. **fenestram vitream** [vidriera]: GONZÁLEZ (*Palaestra Latina*, I (1930), 57): «vitratium»; JOVÉ (*Palaestra Latina*, IV (1933), 56): «specularia, tum», idem habet COGNASSO (*Il latino*, s. v. *inietriata*); BACCI habet etiam «specularia», «vitrei clathri», «fenestras vitreae»...

6 **machinam scriptoriam - dactylographa** [máquina de escribir]: JOVÉ (*Cand. Lat.*, I (1928), 6); «dactylographum»; COGNASSO: «machina scriptoria» (*Il latino*, s. v. *machina*); FORNARI (*Alma Roma*, XXIV (1937), 45): «dactylographum»; BACCI: «manuale prelum vel praelum (?) vel dactylographicum prelum; vel scriptorium prelum; vel machina dactylographica; vel machina scriptoria» (s. v. *dactylograppare*). DUMAINE (*Convers. lat.*, 342): «organographium». — Aptiora verba, ut opinor, sunt «machina scriptoria» et «dactylographum»; «dactylographium» vero non probo, quia esset «graphium = stilus digito motus», quod quidem significare nolumus, sed instrumentum, machina qua digito scribimus (dactylo-grapho = δάκτυλος-γράφω).

tegmento: cfr. FORCELLINI, BACCI, BIONE, s. v. *copertina*.

rogationem [instancia]: Vel si mavis «litterae precatoriae, postulatoriae».

scrinium [fichero]: «Arcula, locus, capsula, in qua res pretiosae et cariores et arcanae (praesertim chartae, ut epistulae, carmina, commentationes) clausae servantur» (FORCELLINI, s. v.); COGNASSO (s. v. *casellario*) habet

ta progreditur, ubi paulo ante constiterat ut clientium scidulas²² inspiceret.

—Officium vestrum elegans et commodum est atque plena luce collustratur.

—Lux per amplas fenestras vitreas³² ubertim penetrat; cum vero gravis est sol vela³⁰ protendimus aut transennam volubilem³¹ demittimus. Nocturno tempore splendidi globuli³⁴ totum illustrant conclave. Administrator¹⁰ brachio flexibili² utitur, quia lux quam globuli emittunt ad legendum interdum non sufficit. Rector, vir litteris admodum eruditus, bibliothecam²⁸ comparavit, quae selectis voluminibus constat eaque volumina pulchro loculamento²⁷ pluteisque continentur. Bibliothecae superpositus est thorax²⁹ supremi societatis moderatoris; juxta bibliothecam sunt calendarium²⁵ et tabula aquatis coloribus depicta²⁶.

—Hiberno tempore novissima calefactionis ratione conclave calefit, ca-

etiam «scrinium»; BACCI (s. v. *schedario*) habet «schedarum ordo; scidarum ordo (*schedario*); schedarum theca (*casellario delle schede*); vel scidarum theca; vel loculamenta schedarum, seu scidarum».

transennam volubilem [*persiana*]: COGNASSO: «volubiles fenestrarum tegulae»; BACCI, «fenestrae transennae».

globuli [*globo*]: translatio ad rem electricam, quae eadem invenitur apud nostratam linguam et alias: *globo eléctrico*.

loculamento [*estanteria*]: «Apud desidiosissimos videbis quidquid orationum historiarumque est, et tecto tenus extructa loculamenta, *scaffali, scancie da libri* (SENEC. *Tranquil.*, 9, 7)» (cfr. FORCELLINI, s. v.). «Pegma» etiam optime dixeris quod est «machina ex pluribus tabulis aliisve rebus compacta et confixa: «Nihil illustrius quam illa tua pegmata» (CIC. *Att.*, 4, 8, 2) h. e.: loculi, cancelli, plutei ex tabulis compactis ad reponendos libros» (FORCELLINI, s. v.). COGNASSO: «librarium» (*scancia per libri*); BACCI: «armarium; loculamenta; pegma; foruli» (s. v. *scaffale*). MENGE-MÜLLER: «armarium librorum» (s. v. *Bücherschrank*).

pluteisque [*anaquel-estante*]: pluteus dicitur «de tabulis parieti affixis ornatus, aut innitendi gratia, v. g. quum sedetur aut scribitur: item repositoris librorum, tabularum pictarum, statuarum, et ejusmodi»... (FORCELLINI, s. v. *pluteus*).

thorax [*busto*]: «Est etiam imago alicujus usque ad thoracem expressa, *busto*». (FORCELLINI, s. v.) (cfr. MIR, *Nova et Vetera*, p. 31); etiam «herma»: «statua sive signum tum ex marmore, tum ex trunco arboris, ita dictum ab Hermete, i. e. Mercurio, quod plerumque statuae Mercurii efficerentur» (FORCELLINI, s. v. *herma*); et «vultus»: «pro imagine aut signo vultum alicujus referente ponitur» (FORCELLINI, s. v. *vultus*).

calendarium: Qui castigatorem persequuntur Latinitatem, «fastos» dicunt (cfr. de hac voce COGNASSO, BACCI, s. v. *calendario-almanaco*). KREBS SCHMALZ (*Antibarbarus*): «Es passt daher nicht für unser Kalender, der vielmehr mit dem zusammenstimmt, was die Alten *fasti* nannten»; tamen perspicuitatis causa, licet vox non sit classica, cum multis maxime auctoritatis scriptoribus vocem recipiamus (cfr. SPRINGHETTI, *Institutiones stili Latini*, n. 27, p. 57): «liber in quo anni, mensium et dierum ac lunarium mutationum ratio perscribitur, *fasti*».

tabula aquatis coloribus depicta [*pintura a la acuarela*]: cfr. COGNASSO: «aquatis coloribus depingere: colore diluto delineare»; MIR, *Palaestra Latina*, XX (1950), 211-112: «tabula aquatis coloribus depicta»; cfr. BACCI, s. v. *depinio*; minus recte DUMAINE (*Conversat. lat.*, 3 edit., p. 353): «aquagena, aquaria pictura».

lefactione, ut ajunt, centrali, qua aër calidus per totam domum immittitur; sed aliquando administrator, cum haud firma valetudine utatur, radiatorium electricum²³ adhibet.

—Ad officium nostrum te venturum extrema aestate spero, quo tempore omnes societatis socii congregabimur atque sollemne agemus festum.

calefactione centrali: COGNASSO: «hypocaustum» (s. v. *riscaldamento centrale*); «thermosiphon, calefactio thermosiphonica, caminus, fornax vaporaria» (*riscaldamento a termosifone*); «vaporarium» (*riscaldamento a vapore*); BACCI: «A nonnullis ad novam hanc rem significandam ponitur: «hypocaustum, i, n.» vel «hypocauston, i, n.» Ab aliis vero «vaporarium, ii, n.» Attamen hypocaustum est locus in thermis et in balneis concameratus et fornicatus, in quo ignis succenditur ad calefaciendam domum (*stufa*). Hac igitur voce significari tantummodo potest *la stufa o caldaia del termosifone*. —Vaporarium autem est locus, vel ductus in thermis ac balneis, per quem ignis calor ex hypocausto in conclavia transmeat. —Ad novum igitur hoc inventum latine significandum, aptius rectiusque, ut mihi videtur, dici potest: «calefacientis aquae ductus», vel brevissime per novum vocabulum: «caleductus, us, m.» —Calefacientis aquae ductu, ex hypocausto derivatae, domum instrui jussit: *fece mettere nella casa il riscaldamento a termosifone*; vel aquae ductu, hypocausto calefactae,

domum instrui jussit. —E graeco fonte: Thermosiphon, onis, m. (thermosiphon, onis, m.), vel thermodiabetes, ae, m. —Vox «siphon, onis, m.» usurpatur a Seneca et a Plinio; vox autem «diabetes, ae, m.» habetur apud Columellam... (BACCI, *Lexicon*, s. v. *termosifone*). —Tamen ex legibus quas Latinitatis cultoribus proposuimus (cfr. VIGET LATINITAS, *Helmantica*, V (1954), 375). «calefactionem» —quae est calefaciendi actus— novae rei, apud Romanos ignotae, aptari posse arbitramur. Ex vocibus igitur ab aliis propositis nobis probanda tantum videtur «thermosiphon», cum vox rei omnino quadret ex verbis Graecis deducta; «calefactionem» quoque admittimus cum primaevis vocis sensus aliquantulum deflectendus tantum sit. —Centralis: «ad centrum pertinens» (legimus apud Plinium, cfr. FORCELLINI, s. v.).

radiatorium: a verbo «radiare», cujus erit sensus «instrumentum quod ad radiandum inservit» (cfr. *Candidatus Latinus*, II (1929), 70), quamquam ibi aliud significat.

JOSEPHUS M. MIR, C. M. F.

PER ORBEM

Centre National de la Recherche Scientifique. — In castello Gif-sur-Ivette a die 3 ad 7 mensis aprilis conventus nonnullorum sapientium, a Collegio «Centre national de la recherche scientifique» paratus, est habitus, in quo de textibus Graecis anni bismilesimi ante Christum natum, nuper explicatis quique omnium peritorum in linguistica atque historiae Antiquitatum Classicarum vehemens flagransque studium concitaverunt, ample atque sapienter disputatum est. Conventus participes 11 exterarum gentium viri (inter quos cl. vv. Tovar et Ruipérez) atque 8 Galli, cl. v. Lejeune praeside, fuerunt Qui quidem de corpore quodam Mycenico edendo disceptarunt, deque bibliographia typis statis temporibus mandanda, de hermeneutica, de notis peculiaribus atque natura dialecti Mycenicae, de relationibus «Syllabarii Mycenici» cum lineari A et Cypriis, de novis instrumentis ad laborem conficiendis.

Consilium his propositis perficiendis creatum est, cuius sunt membra cl. vv. Bennett, Lejeune, Meriggi, Ruipérez, Ventrís.

Bis Millenaria Commemoratio Caesaris et Ciceronis. — Hoc anno bis millenaria commemoratio Caesaris occisi haberi omnes cognitum habent. Societas vero Studiorum Latinorum (*Société des Études latines*), quo melius atque dignius Caesaris et Ciceronis (qui anno 43 a. Chr. n. occisus est) memoriam agat, diem constituit commemorationis, qui dies (quadam veluti temporum fraude admissa) erit dies festus Pentecostes, anno 1958 Qui plura de his rebus scire velit, adire poterit cl. v. M. L. Nougaret, a Secretis Societatis, 174, avenue de Clichy, Paris (XVII).

Inventa Archaeologica. — In agro quodam, ad «Lucifero» oppidum in Italia, 26 sepulcra Graecae aetatis sunt inventa, quae saeculo a. Chr. n. VI et V adscribi debent.

Ineunte mense aprili, P. Antonius Ferrua, S. J., ab actis Pontificiae Commissionis Archaeologiae Sacrae, nuntiavit sub via quadam Urbis mirum inventum repertum esse. Sub via enim cui vulgo est nomen «Dino Campagni», quae partem antiquae viae Latinae occupat, «catacumba», de qua omnia documenta silent, est inventa. In ea digna sunt admiratione 50 picturae, saeculo IV adscribenda, udo tectorio coloribus inductae, quae exhibent figuras Veteris et Novi Testamenti, res mythologicas, vitae civium eventus. Maximum hujus inventi momentum probat quam recte a P. Ferrua «magna saeculi IV pinacotheca» sit appellatum.

Amphorae Romanae sub mari. — Jugis atque perennis veluti fodina vasorum et amphorarum aliarumque rerum ad Archaeologiam spectantium in profundo mari invenitur, quae tamen parum adhuc est excolta. Homines autem subaquanei — qui vulgo «homines ranae» dicuntur— sub aquam mersi saepe optima instrumenta archaeologica effoderunt. Per totam «maris nostri» oram, sed praecipue in illis Hispaniae locis ubi Romanorum tempore florentes portus exstiterunt, ut Tarracone, Barcinone, Emporiis, Ilurone (Mataró), multa hujusmodi monumenta maximi momenti jacent sub aquis et sub arenis sepulta. Fortuna favente, illa societas quae C. R. I. S. (*Centro de Recuperación e Investigación Submarina*) appellatur, strenue ac feliciter adlaboravit. Neque pauci viri privati, ludo amphoras inquirendi vacant, ut eas venundent. Quod haud difficile est, at valde quaestuosum. Viri mersoriis instrumentis instructi ad 10 metra sub mari sese mergunt, arenam suffodiunt paululum, pauloque post amphoram Romanam integram intactamque effodiunt. Postquam aliquot dies in sole exposita est ut siccescat, venundari potest. Sunt qui brevi unius diei spatio 15 vel 20 amphoras e maris visceribus ad lucem ediderint.

Ernst Robert Curtius. — Romae, mense Aprili, septuaginta annos natus, vir ille in rebus philologiae et historiae litterariae nobilissimus atque litterarum argutus censor et existimator vita functus est. Alisacensis origine, peritissimus in philologiae Romanicae disciplinis, quarum disciplinarum in Universitate Bonnensi magister exstitit litteras etiam Europaeas excoluit atque sapienter existimavit. Cumque Europaeorum litterarum penitorem unitatem clare perspexerit, quam multis hisque scitissimis libris commonstravit, sua de re praecipua cogitata in eo praestantiore opere, cui index *Europaeische Literatur und Lateinisches Mittelalter* exposuit atque evulgavit.

JACOBUS SIDERA, C. M. F.

COLLECTANEA

E multis eis que optimis sententiis, quas cl. v. A. Tovar, Consociationis Hispanicae ad Studia Classica provehenda Praeses, in extremo conventu Primi Congressus Hispanici Studiorum Classicorum protulit, insequentes seligimus, quae certo legentibus erunt gratae:

«... ¿Por qué un bachillerato clásico en los mediados del siglo XX? ¿Por qué, cuando se señala que el problema fundamental de nuestra enseñanza es el de la tecnología, insistimos nosotros, los docentes de lenguas clásicas, los arqueólogos e historiadores, en la enseñanza del griego y del latín?

Sería necesario repetir aquí los argumentos en favor de los clásicos, afirmar una vez más que en la vieja escuela de los griegos y latinos está la base no ya sólo de la educación, sino del pensamiento y de la filosofía mismas. La propia técnica, de desarrollos tan lejanos del primitivo mundo clásico, ha elegido, en todas las lenguas de cultura, un nombre griego.

Cuando los físicos jónicos, o Hipócrates, inventaban la ciencia, tomaban por primera vez una posición científica, iniciaban ese maravilloso desarrollo que nos enorgullece como humanos. ¿Habremos de lanzarnos siempre adelante, sin quedarnos con las simientes de esa herencia?

Ac postquam alia, Hispanorum

«...Y volviendo al tema de la legitimidad de los estudios clásicos, debemos referirnos aquí al cuestionario repartido hace pocos meses por la Unesco. Muchas de las preguntas no ofrecen para nosotros duda; son para nosotros clásicos, sin negar el interés de las «humanidades modernas» o de los que podríamos llamar clásicos exóticos, los autores greco-latinos, la integridad cultural de su herencia. El desequilibrio de la formación humanística y de la formación técnica, forzosamente alejadas y aun opuestas, no se puede seguramente resolver en un mismo individuo; como se dice

Ya lo he dicho otra vez, en esta misma sala, siguiendo a los sabios de tres mil años La cultura clásica nos seguirá enseñando a contemplar sin deslumbramientos y con modestia esta carrera faústica del hombre moderno. Los griegos llamaban *hybris*, algo así como exceso, *superbia*, al desconocimiento de los límites del hombre. El hombre que roba el fuego del cielo, lo mismo que el criminal que mata a su hermano, es reo de *hybris*. He aquí una norma moral, una regla de conducta que nos enseñan los antiguos. Nuestro mundo excesivo, cargado de *hybris*, seguramente que necesita de esta norma moral de los clásicos...

La cantera de la ciencia antigua, del arte y la filosofía de los clásicos, sigue ahí para que aprendamos juventud en ella. Las literaturas modernas, aun en sus formas actuales, necesitan entenderse a la luz de los géneros antiguos y si hay ese algo divino que se llama la poesía, es todavía griego hasta en el nombre»...

propria, argumenta commemoravit,

ahora, difícilmente un mismo sistema nervioso será capaz de soportar la tradición de las humanidades y la de una preparación especializada para las técnicas y las profesiones de inmediato servicio a la sociedad; pero la solución armoniosa se dará en la integridad de una cultura nacional y universal, en la que el humanista, el conservador de la tradición greco-latina, ha de conservar el viejo puesto de honor. Un mínimo de esta tradición ha de pasar, al menos, a todos los educados, ha de ser parte fundamental en la educación general.

¿Es que cabe decir que la educación clásica es esencialmente minoritaria, conservadora, clasista en el peor sentido de la palabra? Creemos que no, y que precisamente, en los viejos

tiempos tanto en el Estado como en la Iglesia esta educación era la vía de acceso a la aristocracia de la inteligencia...».

Oratio integra invenitur in commentariis «HELMANTICA» VII (1956) pp. 303-311. Ibidem leges quam orationem habuit in eodem conventu cl. v. Rodríguez Adrados, quae etiam digna est quae legatur ac doctorum meditationi subjiciatur (Ib., pp. 292-303).

DE RE METRICA:

His temporibus quaedam quaestiones de re metrica agitantur, quas eruditissimi viri ut solvant perpetuo student atque elaborant. Cl. v. Marouzeau, in commentariis quibus est index REVUE DES ETUDES LATINES, XXXII (1954) 100-102 hanc quaestionem movit: «*Qu'est-ce que l'allongement «par position».*» Quam denuo fusius evolvit et solvit in iisdem commentariis XXXIII (1955) 344-351, commentatione cujus summam his verbis continetur:

«L'enseignement traditionnel de la métrique tend à laisser croire que l'allongement «par position» résulte purement et simplement de l'addition d'un groupe de consonnes à la voyelle qui les précède, tandis que les linguistes inclinent à admettre que la qualité de syllabe fermée suffit à conditionner l'allongement. Il

semble que l'analyse phonétique conduise à dissocier dans le groupe de consonnes: d'une part, l'explosion de la seconde, qui se joint sans effet à la syllabe subséquente, d'autre part l'implosion et la tenue des deux consonnes, qui déterminent l'allongement en ajoutant leur durée à la syllabe précédente».

Cl. Magister Sorbonensis J. Perret duabus lucubrationibus de hexametro sapienter agit in iisdem commentariis. Quarum prima inscribitur: *Mots et fin de mots trochaiques dans l'hexamètre latin*, XXXII (1954) 183-199. Altera vero: *Le partage du demi-pied dans les anapestiques et dans l'hexamètre*, XXXIII (1955) 352-366.

Hae lucubrationes sunt de metrica latina; de metrica vero Graeca sapienter disserit cl. v. M. S. Ruipérez, commentatione quae vere dignissima est quae commendetur: *Cantidad silábica y métrica estructural en griego antiguo*, EMERITA XXII (1955) 78-95. Omnes, qui has de metrica Graeca quaestiones evolvent et pertractabunt, ad ea quae cl. Prof. Ruipérez explicavit, studioso convenient.

JACOBUS SIDERA, C. M. F.

SOCIIS ET ALUMNIS RESPONSA DANTUR

CAROLO BLARF. *Genevae Ky.* — Studium tuum ut PALAESTRAM LATINAM quantocius, vel aëria via, apud te haberes novimus ac maxime laudamus. Quae per syngrapham nummariam dollaris misisti ad nos sunt delata. Est tibi gratia.

L. M. SANSEG. *Marialaach-Bononiae.* — Quae mones, corrigentur. Maximis districtus occupationibus commentariolum de tabaco nondum aggredi potui neque dialogum tuum de eadem re perpolire. Quae de Caesare scripsisti in extremo hujus anni fasciculo cum aliis de Caesare lucubrationibus edentur. Quem vero indicem seu titulum illis jocosis tuis proposui, tibi non probari video; eruntne fortasse aptae locutiones ad tuam sententiam *de todo un poco* latine reddendam: «collectanea jocosae», aut «undecumque parva et magna delibantes...» seu «seligentes»...?

FCO. FAN. *Mindonii.* — Quid de carmine et de inscriptione illa sentirem, scripsi. Sunt quidem hae inscriptiones quae publice eduntur ac saepe insculpuntur sedulo perpoliendae et ad veterum leges aptandae. Illa vero diei significatio quae est «quinto Idus Kalendarum Novembrium» intellectu difficillima est, ne dicam mendosa. Res enim mira est in eadem diei et mensis annotatione «kalendas» inesse, quae sunt sequentis mensis (Novembris), et Idus, quae superiori mensi respondent (Octobri) Contraria prorsus videntur, quamquam in antiquiore documento te dicis invenisse.

AUGUST. QUEV. *Barcinone.* — Carmen tuum nos accepisse te certiore jam fecimus; illud — in primis cum primitiae sint quibus musas Latinas colis et honoras — debita et nos reverentia accipimus. Tibi tamen assentire nequeo quod locum illum «pulsa zephyris» produxisti, quia, ut asseris, extrema syllaba vocis «pulsa» duplici consonanti sequentis vocis «zephyris» ex lege prosodiae Latinae producitur: quae lex nequaquam ab optimis poetis Romanis admittitur, sed contra: «Si utraque consonans aut una duplex erit in principio sequentis dictionis, nihil praecedentem vocalem brevem juvabit nisi fere apud poetas minus accuratos» (J. LLOBERA, *Grammatica classicae Latinitatis*, Barcinone, 520, II). Et in calce P. Llobera annotat: «Apud priscos, Catullum et recentiores. Enn. ap. Cic. *Div.* 1, 48, 108: *Auspicio regni stabilita scamna solumque...* Apud poetas Augusteos exempla non videntur suppetere nisi vix in caesura. Tib. 1, 5, 28: *Pro segete spicas, pro grege ferte dapem*». Et eadem invenies apud P. L. LAURAND (*Manuel des Études Grecques et Latines*, VII-71, γ): «Les groupes initiaux n'allongent presque jamais la syllabe précédente». Licentiam igitur censor tibi concedere potest, non quod duplici consona, lege prosodiae, superior syllaba producat, sed in primis quod illa syllaba extrema in caesura sit: «pulsas || zephyris». Omnem tamen reprehensionem effugies si versiculum mutaveris in:

«Pulsa jam venit zephyris hirundo» (praeterito perfecto: venit). Alia minora tibi jam significavi. Perge sic litteras musasque Latinas studiose colere.

BIBLIOGRAPHIA

J. KIRCHNER. — *Scriptura Latina libraria*, R. Oldenbourg, Monachii, 1955; DM 31.

Cum jam dudum in Germania nullus editus sit liber qui, tabulis scripturarum Latinarum librarum instructus, et doctoribus ad explicandam disciplinam palaeographicam et auditoribus ad praecipua codicum specimina oculis inspicienda animoque retinenda utilitatem afferat, hanc «Scripturam Latinam librarum» Dr. J. Kirchner, vir in re peritissimus, edere constituit.

Selecta ac varia e codicibus specimina depromuntur ut omnes scripturae Latinae librarum mutationes, quae a prima aetate (saec. I) ad finem medii aevi (saec. XV) reperiantur, in promptu viris eruditis sint.

Duae et quinquaginta tabulae phototypice exprimuntur, quarum ordo et aetate et genere scripturarum constituitur. Tabulae 1-13 capitalem, unctalem, semiunctalem scripturam ostendunt; tabulae 14-20 Hibernicam et Anglosaxonicam; tabulae 21-22 scripturam Visigothicam. Consequuntur scripturae quae Prae-carolinae vocantur (cursiva, Beneventana, cet.: tabulae 23-37). Deinde exempla scripturae Carolinae (38-42), Gothicae (43-50) Humanisticae (51-52) imaginibus illustrantur. His vero tabulis seu imaginibus phototypice expressis codicum descriptiones praecedunt; significantur bibliotheca, codex ejusque in catalogo numerus appositus, notitia saeculi vel anni, materia (membrana, papyrus, charta), foliorum longitudo et latitudo, scripturae genus, titulus operis, locus ubi scriptus est codex ejusque scriptor, verborum e codice transcriptio.

Habes, lector humanissime, hujus operis notitiam, cujus virtutes permagni sunt habendae et ponderandae, in illo enim et charta et typorum excusio et

tota operis distributio et codicum explicationes eorumque imagines photographicae legentium oculos et animum quadam jucunditate perfundunt. Neque illud est praetereundum clarum hujus operis scriptorem et in praefatione et in codicibus explicandis lingua Latina, quo facillius ab omnibus doctis comprehenderetur, uti constituisse.

JOSEPHUS M.^a MIR, C. M. F.

SCIACCA, MICHELE FEDERICO. *San Augustin* Versión española por el R. P. Ulpiano Alvarez Dfiez, O. S. A. Biblioteca Filosófica, Editorial Miracle, Barcelona, 1955, pg. 495.

Vitam et opera divi Augustini uno obtutu atque comprehendere haud facile est. In hoc tamen libro et vir Sciacca non modo quasi «propaedeuticam» ad doctrinam divi Doctoris mente comprehendendam proponit, quam multi philosophi et theologi volentibus annis saepe mutila tradiderunt ac perperam sunt interpretati, sed etiam splendidam speciem amplamque conspectum in ejus vitae disciplinam promanantem ostendit et simul vividam ac nervosam synthesim totius uberrimi operis in re theologica, philosophica, litteraria.

Vocabulorum interpretationes quae Sancti Augustini propria sunt ac peculiaris acri iudicio percipit auctor et explicat. Et vir Sciacca in opere conficendo omne studium et diligentiam contulit. Primae parti, si alteram tertiamque addimus — quae de «Animi vita» sunt — quibusque se scriptor ad res nostrae aetatis plenius convertitur, librum in manibus habebimus non tantum jucundum dulcique lectione gratum, sed etiam summa et alta doctrina refertum.

Officina Libraria Miracle, quae nuper optimam Sancti Hieronymi vitam pro

Hispanis edidit, de omnibus bene meretur quod hoc novum clarum. Scilicet voluminem divulgat, cuius altera pars utinam quantocius in lucem emittatur

F. SEBASTIAN, C. M. F.

W. J. W. KOSTER — *Traité de Métrique Grecque suivi d'un Précis de Métrique Latine*, 2me. édition. Leyde (Hollande), A. W. Sijthoff's Uitgeversmaatschappij N V, 1953, pp. 380, 24 x 16.

Recens accepimus lectoribusque PAELAEAE LATINAE commendatum proponimus hoc de re metrica Graeca et Latina opus iterum apud Batavos editum. Est enim opus ex omni parte laudandum, et internis et externis virtutibus.

Atque revera, a primo jam libri conspectu, vel immittis atque difficilis Aristarchus iras deponet, miratusque elegantiam et curam quibus hoc opus typis mandatum est, magna afficietur animi admiratione et laetitia.

Quod, si externis operis virtutibus posthabitis, ipsius pondus et vim internam perpenderit, iudicium non nisi validum probatumque proferes ex his omnibus praecipue:

- a) ex numero quaestionum agitarum;
- b) ex ratione, methodo, perspicuitate qua res omnes pertractantur;
- c) ex cura in exemplis selegendis et proponendis;
- d) ex congrua partium dispositione, etc.

Neque objicias exiguum tantum partem metricae Latinae tributam esse. Id enim ab auctore consulto factum esse existimo, cum praecipuae quaestiones de metrica Latina a metrica Graeca mutuatae sint atque in eadem consistant. Unde nihil mirum si, postquam de metrica Graeca late copioseque actum est. (pp. 1-311), nonnullae tantum paginae (411-355) ad metricam Latinam declarandam sufficiant.

Difficile est iudicium proferre, inter tot et tam egregios auctores qui de re

metrica scripserunt, quisnam princeps extiterit; tamen hoc certe, nemine discrepante, asserendum puto: clarum v. Koster si non principem, saltem inter principes computandum, qui de re metrica his nostris diebus egerunt; immo hunc metricae tractatum omnibus fere praeteritorum auctorum tractationibus praestare.

Quae cum ita sint non possumus non laudato v. Koster palam gratias referre ob hoc praeclarum opus idque impense lectoribus commendare.

J. JIMÉNEZ DELGADO, C. M. F.

A. SPRINGHETTI S. J. — *Exercitationes variae stili Latini*, Romae apud Pontificiam Universitatem Gregorianam, 1956.

Periculum quod libris de re stilistica, et in primis Latina, impendere potest in eo est ut fortasse nimium theoretici atque ab ipsis rebus usuque vitae cottidiano remoti inventantur. Quod quidem periculum subiens clivus. P. Aemilius Springhetti S. J., peritissimus rationis ac disciplinae stilisticae cognitor, cultores versionis Latinae nuper donavit volumine III collectionis cui index «Latinitas Perennis» typis Pontificiae Universitatis Gregorianae Romae in lucem edito, in quo prooemium et aliquot capita (I-VIII) Manzonianae fabulae romanensis «Sponsi» pereleganter in linguam Latinam conversa legentibus offert, addita etiam ex Anglicis et Gallicis optima quaque interpretatione.

Quantum sit hujus editionis momentum et pondus in re stilistica Latina nemo est qui ignoret cum scilicet voluminis pagellas pervolutaverit et ipsius auctoris verba rite perpenderit: «In his enim capitibus, ut in toto hoc mirabili sane libro, omnes dicendi generis partes habentur; omnes animi sensus motusque describuntur, explicantur; loca et tempora, ingenia moresque cujusvis hominum ordinis, virtutes ac vitia, denique omnia quae nostrorum temporum mo-

rumque veritatem imitantur, tanta similitudinum, locutionum, verborum varietate, veritate, elegantia effinguntur, ut vita ipsa quam agimus, suis deplangi coloribus videatur».

Grates P. Springhetti quam maximae rependendae quod operi, difficultatibus et labore referto, sese accingere voluerit clarissimum nobis praebens exemplum atque specimen perennitatis linguae Latinae quae tam fida verborum copia rebus ipsis recentioribus accommodatur.

In extremo opere exstant «annotatio- nes quibus praecipuos quosdam latine loquendi modos auctoritate veterum scriptorum suffultos» vult auctor.

M. MOLINA, C. M. F.

SOCIEDAD ESPAÑOLA DE ESTUDIOS CLÁSICOS. — *Bibliografía de los Estudios Clásicos de España*, (1939-1955).

En volumen quod a «Consociatione Hispanica ad Studia Classica provehenda» vulgatum et a nonnullis studiosis causa primi Congressus Hispanici pro Studiis Classicis exaratum, primum in serie ejusdem Consociationis publicationum locum obtinuit.

Hoc volumine colligere contenditur quidquid ab anno 1939 inde ad 1955 et ab Hispanis vel ab exteris in Hispania et ab Hispanis extra Hispaniam in lucem editum est ac divulgatum. Videsis totius voluminis indicem et conspectum; I. Textus antiqui et versiones. II. Dictionaria. III. Conservatio textuum et ratio critica interpretandi. IV. Res linguisticae. V. Ars metrica. VI. Litterae Graecae, Latinae, Christianae. VII. Historia. VIII. Geographia et nominum doctrina («Onomástica»). IX. Religio et mythologia. X. Philosophia. XI. Jus antiquitatis classicae. XII. Scientiae historia. XIII. Archaeologia. XIV. Epigraphia et Palaeographia. XV. Nummorum disciplina («Numismática»). XVI. Opera pro scholis. XVII. Linguarum classicarum Paedagogia. XVIII. Studia classica eorumque historia. XIX. Legata litterarum ab

antiquitate classica accepta XX. Bibliographia et res variae. — Index alphabeticus auctorum recentiorum

His expositis nemini est infitandum magnum incrementum hujusmodi studiis Hispanos intulisse proximis viginti quinque annis transactis in omni genere et varietate disciplinarum sive ad investigationem quod spectat sive ad divulgationem, idque non semper temporibus temporumque adjunctis faventibus.

Utinam hoc Volumen — in hoc desiderio sumus — sit quasi praegustatio proxime futurorum fructuum quos a studiosorum classicorum cultoribus Hispanis sperare atque repetere merito debemus.

C. H. NUÑEZ. — *Textos latinos resueltos*, para el aprendizaje seguro, rápido y fácil del latín, Ediciones Claridad, Madrid, 1950.

Qui hoc opusculum exaravit in summam redigere sibi proposuit elementa quibus est opus ad viam textuum Latinorum sternendam atque ingrediendam, nam omnes fere difficultates in interpretandis scriptoribus ex oblivione vel falsa elementorum notione plerumque tironibus exoriantur. Quapropter professor C. H. Núñez hoc opusculo commodare voluit methodum seu adjumentum quo per se ipsi tirones celerius ac tutius aenigmata quasi grammaticalia persolvant. Quod ex parte saltem assequi professor nobis videtur «textuum resolutorum» ope quibus membratim elementa orationis explicat atque vernacule interpretatur; ex parte vero quae ad grammaticam attinet id quoque assecutus esset auctor opusculi si, demptis quibusdam disquisitionibus subtiliter tractatis, in conscribenda summula pro scholis ob oculos habuisset quidquid optimi grammatici recentiores in suis operibus adhibent eorumque verbis in vocabulario grammaticali et praecipuis opinionibus adhaesisset.

Neque omnes probabunt verbum neutrum *venire* passive deflecti posse: «ven-

tum est (ab illis)» atque converti in orationem «*illi venerunt*» (cfr. p. 38), neque ulli arridebit definitio ablativi absoluti (cfr. p. 44), neque quod de gerundio in accusativo (cfr. p. 46), neque quod de futuro perfecto ut *tempore historico* (cfr. p. 50), neque quod de praesente historico (cfr. p. 51), neque quod de infinitivo (cfr. p. 47) dicitur; explicari nequit verbum Hispanicum «*acontecer*» orationem completivam complementi directi vicem gerentem expostulare (cfr. p. 43).

Ceterum methodum et rationem manu ducendi in vertendo titones, nonnullis rebus renovatis, maxime ducimus utilitatis

MARIANUS MOLINA, C. M. F.

M. TULLI CICERÓN. — *Discursos*. Vol. VII. Fundació Bernat Metge, Barcelona, 1955.

Novo hoc scriptorum Latinorum scito volumine fit locuples nobilis illa «Fundació Bernat Metge», cui maxime humaniores litteras debere, apud nostrates, in comperto est. Duae ibi orationes ciceronianae, Pro M. Fontejo et Pro A. Caecina, eduntur. Textui vero Latino, ut moris est, Catalaunica conversio, a praeclaro viro Josepho Vergés lepide exarata, adiungitur.

Duae hae orationes, quamquam fere incognitae praeter cetera M. T. Ciceronis opera, magni tamen in litteris Latinis momenti sunt habendae. Oratio quidem Pro M. Fontejo ad nos usque permittitur venit; ex quo improbus omnino labor scriptoris ad textum rite constabillendum. Oratio autem Pro A. Caecina de jure mere privato agit; hinc forte minus cognita in discipulorum aulis.

Perpaucae harum orationum editiones exstant. In Bibliotheca Oxoniensi invenies editionem a claro professore C. A. Clark elaboratam. In Bibliotheca Teubneriana edidit egregius professor F. Schoell. Denique insignis v. A. Boulangier eas edidit in Bibliotheca, cui favendae curat «Association Guillaume Budé».

Hic igitur textus in hoc volumine, ut conversionis Catalaunicae fundamentum, adhibetur a claro scriptore J. Vergés. Accurata operis Introductio praebet (pp. 7-12). Sequitur M. Tulli Ciceronis Pro M. Fontejo oratio, cum nota praeliminari, sigllis, conversione Catalaunica (pp. 13-40). Tum M. Tulli Ciceronis Pro A. Caecina oratio, cum nota praeliminari, sigllis, conversione Catalaunica (pp. 41-90). Indice nominum totum opus coronatur (pp. 91-92). Utinam et aliae quam citissime litterarum Latinarum reliquiae hac in Bibliotheca in vulgus, quibus Latinitatis cultores satius delectentur, edantur.

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.

Didattica del Latino. — Saggi e conferenze a cura del Movimento Circoli della Didattica. Angelo Signorelli editore. Roma, 1955.

Pervariae lucubrationes, eaeque maximi momenti in usu atque studio linguae Latinae, hoc in scito volumine jacent. Scriptores et professores praeclari calamum ibi de re perite disserentes admovere: Pighi, Tomazzoni, Gozzer, Raffo, Rizzo, Dalmasso, Paniate, Perucci, Tamborini. Ad unum omnes in idem facile convenerunt, qui librum perutilem perfecerunt in provincia vero «theoriae» quod sapientes modo dicere consuerunt.

De «didactica» Latina ibi agitur, praesertim apud gentes Italas, in quibus disciplina linguae Latinae maximae quidem aestimationis, cum in earum solo quasi natae diuturno usu consuetudinem ibidem confirmavit. In quinque partes commode opus hoc dispescitur: I. De lingua Latina atque ejusdem disciplina (pp. 5-23) G. B. Pighi interrogat: Quare Latina lingua colitur? Atque in altera elucubratione disserit de «Functione paedagogica linguae Latinae», C. Perucci autem sic suam contrahit thesem: «Iter» paedagogicum ad Latinum.

II. Quaestio didactica (pp. 25-128). Disserunt hic de Grammatica, lingua,

examinibus Latinis Pighi, Tomazzoni, Perucci, Gozzer, Dalmasso III. Experimenta et methodi (pp. 129-168). De certo experimento practico (E. PANIATE); Methodus Crouzet (G. RAFFO); de certa methodo Anglica (G. RAFFO); experimentum Gallicum in schola media (R. D.); quo modo Romani colebant linguam Graecam (R. D.). IV. De scholis Latinis (pp. 169-192). De institutione linguae Latinae (GOZZER); de lingua Latina in schola media (TAMBORLINI); de l. Latina in lycaeo classico (RIZZO); de l. Latina in instituto magistrali (TOMAZZONI). V. Lingua Latina (pp. 193-211). Praecipuae Linguae Latinae notae (PIGHI); Kikero, Cicero, Zizero et Sisero, seu de vera pronuntiatione linguae Latinae (PIGHI).

Homerische Hymnen griechisch und deutsch, herausgegeben von Anton Weither. Ernst Heimeran Verlag Muenchen. Tusculum Buecherel.

Ex ipsa huiusmodi libri inscriptione meta a claro professore A. Weither, de Graecarum litterarum cultu bene merito, sibi proposita facile exprimitur. Discipulum quidem linguae Graecae horum hymnorum Homericorum aliquam notionem habere opus est, si is in linguae medullam tanquam irrepere et subre cupiat.

Sunt admodum tria et triginta carmina ab Homero, omnium facile principe Graecorum poetarum, lepide sciteque perfecta; quasi laudum sunt fasciculus in honorem eorum deorum, qui a populo religiose colebantur, in Olympo habitantium. Ea autem inter se differunt, ex proprio singularique poetae in unoquoque carminum proposito.

Carmina ibi in honorem Dionysii, Demetrii, Apollinis, Hermae, Aphroditae, Aris, Artemidis, Athenae, Herae, Heraclei, Asclepii, Dioscuridum, Panos, Hephaestii, Poseidonis, Jovis, Hestiae, Musarum, Terrae, Solis, Lunae, Deorum Matris. Tanquam Olympus totus in conspectum allatus curiosi atque patientis lectoris,

Horum autem carminum Germanica conversio hoc in libro editur magno omnino studio exituque elaborata. Primum hymnorum elenchus (p. 5); tum Graecus textus ejusdemque Germanica conversio (pp. 6-133); postea non nulla de scriptoris proposito deque operis natura verba (pp. 134-139); denique aliquae maxime utiles diversorum carminum explicationes (pp. 140-158). Non nulla de bibliographia verba atque nominum index totum opus belle complent et coronant.

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.

A. MORTERA — *Epigrammi di M. V. Marziale*, versione poetica Arnaldo Mondadori Editore, Verona, 1952

Laudamus A. Mortera interpreti quod nobis obtulit hoc volumine V. Martialem vindicatum atque probrosissima poetae tantum lubrici nota liberatum; agere enim de Martiale permultis nihil aliud est quam de vate quodam lascivo ac salaci dicere cum contra ejus epigrammata obscena partem minus pulchram et magis caducam operis constitutuunt, propterea quod potius quam pravati animi signum, obsequium et indulgentia exstiterunt poetae celtiberi pessimis id temporis cupiditatibus hominum concedentis.

A. Mortera non parvo pudoris atque honestatis sensu qui nostra decet tempora obscenis carminibus caste velatis, nobis praebet Martialis operibus veram ac genuinam partem pulcherrimis versibus italicis interpretatam. Quam justam carminum quasi putationem resarciendi causa, interpres ab ordine chronologico epigrammatum decedens eisque in novum ordinem distributis, conatur atque assequitur propriam V. Martialis virtutem ac praestantiam ex ipsius operibus quam maxime producere. E duabus ergo partibus voluminis V. Martialis tamquam poeta et homo legenti prostat.

Prima pars in parva capita dispectur quorum quodque aliquid varii inge-

ni poëtae celtiberi revelat; duobus primis capitibus «*Arte epigrammatica*» et «*Professione di fede*» includitur quiddam vates scripsit de difficili arte multum paucis dicendi; in tertio capite «*Schermaglie*» in adversarios facit impetus; in capite quarto «*Satirici*» neminem verberare parit: poëtas nempe, oratores, philosophos, ludi magistros, causidicos, medicos, tonsores, homines intempestivos, avaros, vanos, debitores in solvendo difficiles, sui prodigos, novos divites, legatorum, donorum, cenarum captatores, bibulos, gulosos, helluones, amantes, ceterosque cujusvis generis Romae habitantium; in capite quinto «*Encomiastici*» res historiae gestas vel in aequalibus viros egregios celebrat; in cap. sexto «*Sentenziosi*» morum magister apparet sive epicuream doctrinam erudiens sive sobrie vivendi principia tradens; in cap. septimo «*Conviviali*» epularum concinit voluptates; in cap. octavo «*Funebris*» mitem animum ostendit altissimamque de vita et morte sententiam.

Altera pars quae inscribitur «*L'Uomo*» epigrammata continet quibus Martialis vitam, facta, memorabilia commemorantur. In cap. enim primo «*Luoghi abitati*» conspicimus V. Martialem et Romae et villae Nomentanae incolam: in cap. tertio, quarto, quinto «*Il cliente*», «*Il postolante*», «*Il cortigiano*» legens non potest non habere misericordiam tristissimae conditionis clientis erga patronos et imperatores; in cap. sexto «*Rimpeanti e desiderii*» taedium ita vivendi promittitur et simplicioris puriorisque vitae a patronis, divitibus, potentibus liberae desiderium; in cap. septimo et octavo «*Nostalgia del natto loco*» et «*Il soggiorno a Bilbili*» patriam repetere desiderat ad eamque tamquam ad securum portum e vitae naufragio confugere; postremo in cap. «*Presentimento d'immortalità*» meritum conscius sese immortalem vaticinatur mortem et tempus superantem.

Itaque Martialis esse desinet velut

exemplar poëtae unice lascivi, mordacis, cynici, ad altiores sensus et cogitata non nati. A. Mortera interpretationem Italicis versibus nactus est agilem, vivacem, fidam fidelitate vero quae animo propriaque indole poëtae servatis, patitur interpretem liberius agere, rem pro re aliquantulum immutare, locutiones quasdam ab aetate nostra absonas mitigare, quin intima epigrammatum constitutio idcirco funditus corrumpatur. Interpreti magno usui in vertendo fuerunt versus alexandrini in primis qui miram novitatis notam atque dicendi breviter interpretationi conferunt.

MARIANUS MOLIN., C. M. F.

N. TUCIDIDES — *Historia de la Guerra del Peloponès*. Text revisat i traducc ó de Jaume Berenguer Amenós, Vol. III, «*Fundació Bernat Metge*», Barcelona, 1955.

In hoc volumine, quod numero 116 est hujusmodi nobilissimae Bibliothecae Thucydidis Historia liber tertius exstat. Facili calamo dictioneque accurata, praeclarus vir J. Berenguer, de Graecis litteris apud nostrates optime meritis atque in Verdageriano Instituto Barcinonensi professor, exaravit Post tertium hoc volumen jam quartum in promptu est, quod ex librorum indice apparet in extrema pagina.

Cum textus historiae Thucydianae tum translatio Catalaunica, ut ceteri «*Collectionis*» libri, maxime commendantur et typographica et litteraria arte. In praecedentibus autem duobus voluminibus rem criticam inventes. Sigla prima fronte deteguntur (p. 6). Tum uno tenore textus cum translatione consequitur (pp. 8-79).

Brevissimae notae, in fine libri, historicae, chronologicae, geographicae, faciliorem quidem textum reddunt: admodum 125 notulae (pp. 81-85). Denique in indice tota res, quasi uno conspectu, legentis oculis commode apparet.

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.



SCHOLARES LINGVAE LATINAE COMMENTARII

Scripta mittantur ad Moderatorem: Conde, 2, BARBASTRO (Huesca)

Pretium ad ADMINISTRATOREM: Lauria, 5, Ap. 1042 - BARCELONA

Pretium in Hispania et America: 15 pesetarum

Extra Hispaniam: 20 pesetarum

ANN. II — (FASC. III). — N 7

M. SEPTEMBRI

A. MCMLVI

VISNE LATINE SCIRE? - LEGE

Lege, inquam, et parce mihi, quaeso, adulescens, quod tuas aures iisdem vocibus obtundo. Ciceronis volumina praecipue volutanda tibi sunt. Veteres scriptores quid de Cicerone senserint audi: *Seneca*, quamquam Stoicus et parum eloquentiae amans, attamen M. Tullium omnibus praefert: «Cicero, inquit, a quo Romana eloquentia exstitit, gradarius fuit. Ejus compositio una semper, et sui similis, pedem servat, curata, lenta, sine infamia mollis, semper ad morem pedemque suum respondens, et suaviter desinens nunquam aspere cadens».

Tacitus — vel alius quicumque scriptor *Dialegi de Oratoribus* aperte testatur M. Tullii vim, plenorem, vehementiorem, valentorem, majore et aciore judicio corroboratam, *Caesaris*, *Caelli*, *Bruti*, *Asinii Pollionis*, aliorumque omnium oratione.

Ceterum *Plutarcho* auctore, nullum fuit doctrinae aut liberalium artium genus, quod ille non accurate tenuerit, qua de causa eundem longe lateque *Demostheni* antepont.

Julius Caesar, Dictator perpetuus, quamquam Ciceroni inimicus, tamen Ciceronem omnes omnium Romanorum triumphos et victorias tanto magis superare praedicat, quanto est praestantius et naturae humanae convenientius, eloquentia, quam armis, doctrina quam viribus corporis florere, ingenique et eruditionis, quam Imperii Romani terminos promovere.

Caelius Rufus eundem «ingenium totius urbis et imperii nominavit, quo absente, magna doctrinae solitudo, Romae esse videbatur».

Plinius, «doctrinarum lucem, extra omnem ingenii aleam positum».

Quandoquidem hic primus et maximus inter Latinos — magis de Imperii finibus propagandis, quam de scientiarum studiis sollicitus — artes ingenuas scriptione celebravit, effecitque ut, quos Romani armis, virtute, legibus optimisque institutis superaverant, scientiarum gloria et eloquentiae majestate aequarent.

PAEDAGOGUS

De vitae somnio fabula

Senex quidam narravit mihi de vitae somnio fabulam plane festivam et cognosci dignam. Aiebat ministrasse se puerum in comitatu Philippi Ducis Belgarum; fuit is Philippus homo acuto ingenio et amoeno, bellator strenuissimus ac deditus ludis, fabulis, dictis acutis, jocis, facetiis et ejusmodi.

Nocte quadam a cena cum aliquot praecipuis amicorum deambulans urbem, jacentem conspicatus est medio foro hominem de plebe ebrium, altum stertentem. In eo visum est illi experiri quale ludicrum esset vita nostra, de quo ludicro illi essent interdum collocuti. Jussit hominem deferri in palatium et lecto ducali collocari.

De mane ubi evigilavit, praesto fuerunt illi pueri nobiles et cubicularii Ducis, qui non aliter quam ex Duce ipso quaererent an luberet surgere et quemadmodum vellet eo die vestiri. Prolata sunt Ducis vestimenta. Mirari homo ubi se in eo loco vidit. Indutus est; prodiit e cubiculo; praesto fuerunt proceres, qui illum ad sacellum deducerent. Interfuit sacro; datus est illi osculandus liber et reliqua penitus ut Duci. A Sacro ad prandium instructissimum; a prandio cubicularius attulit chartas lusorias et pecuniae quantum vellet. Lusit cum magnatibus, sub serum deambulavit in hortulis; venatus est in leporario et cepit aves aliquot aucupio.

Cena peracta est pari celebritate qua prandium. Accensis luminibus inducta sunt musica instrumenta omnis generis, puellae atque adulescentes nobiles saltarunt; exhibitae sunt fabulae; hinc commissatio, quae hilaritate atque invitationibus ad potandum, producta est in multam noctem. Ille vero largiter obruit se vino, sicut priore nocte et colapsus in somnum altissimum; jussit eum Dux vestimentis prioribus indui, atque in eundem locum reportari quo pridie fuerat repertus; ibi transegit noctem totam dormiens; postridie experrectus, cepit secum de vita illa ducali cogitare, incertum habens fuissetne res vera an visum quod animo esset per quietem observatum. Tandem, collatis conjecturis omnibus atque argumentis, statuit somnium fuisse, et ut tale uxori, liberis, viris narravit.

Quid interest inter diem illius et nostros aliquot annos? Nihil penitus nisi quod hoc est paullo diuturnius somnium; certe est utriusque perinde ac si quis unam dumtaxat horam somniasset, alter vero decem. Nihil jam pridem audivi ad exprimendam vitae nostrae vanitatem accommodatus.

LUDOVICUS VIVES

(*Opera omnia*, Valentiae, 1788, vol. VII, pg. 144-146). Fabula pueris accommodata.

AD JOANNEM de adventu veris⁽¹⁾

Care Joannes, mihi qui fuisti
optimus semper comes atque amicus,
hoc meum primum, tibi dedicatum
accipe carmen.

Jure laetaris quod et ipse laetor:
«venit alium ver» referunt creata;
«venit alium ver» iterat poeta
barbiton aptans.

Donec in caelis apicem petit sol,
noctis atque umbrae minuuntur horae;
flos redit campis foliumque lignis,
frigera cedunt.

Sic stupens fortasse perclitabor
proterei in stratis properante raeda;
ne Deus sirit! sed obire dulce
hoc fore credo.

Barcinone

Jam venit pulsa zephyris hirundo;
gaudet omni spe spoliatus aeger,
cum putet vitae sibi prorogatum
tempus in annum

Virgine^s gaudent etiam scientes
quam favens sidus sibi sit. juvantque
veste naturam nitidoque cultu
saepe novato.

Interim cernens ego tot decora,
sive consisto medio in viarum,
sive me verto quasi fascinatus
non semel aut bis.

AUGUSTINUS QUEVEDO SENSAT

Classicarum Litterarum alumnus in Universitate Barcinonensi

FELIX SOMNIUM

Fridericus secundus, Borussorum rex, quodam die, cum, negotiis distentissimus, iterum atque iterum aulicos vocavisset, sibi nullum audivit respondentem. Janua aperta, cum puer qui artum in cathedra somnum capiebat, occurrisset, somnum ab eo excutere cogitabat; epistolam autem, quam extremo ex sinu prominentem vidit, legere voluit. Litterae, puero a matre missae sunt, quae optimo filio, quod pecuniam miserat, gratias referebat. Tandem filio Dei benedictionem exoptans, suo nomine in litteris utebatur. Rex autem, lectis litteris, commotus ac silens egressus est. Tum vero pecuniarum crumenam in pueri sinum ingessit. Postea se in habitaculum recepit strepitumque aedem resultavit regiam, ut puer somno excitaretur. Diu, inquit rex, et graviter obdormisti. Puer, verecundia captus, cum in sinum manum forte induxisset reperit pecuniarum crumenam. Postquam eam exprompsit: «Domine, dixit, Deum testor me non rapuisse». Et flevit amare. Sed rex puerum consolatus est dicens: «Deus saepe dormientes beneficiis implet».

Celso

CAROLUS M.^a BARBARIN

Martinus et amicus

Fuit quondam homo maritimus qui amicum quemdam, navigandi pertaesum, habebat. Quodam die cum ad navigandum paratus esset, amicus dixit:

—Dic, quaeso: Ubi mortuus est pater tuus?

—Naufragio periit, inquit nauta.

—Et avus?

—Cum quodam die piscaretur tanta est coorta procella, ut aquis sit obruta navis, et avus perierit.

—Et atavus?

—Cum in Americam navigaret, navi adversus rupem collisa, undis est absumptus.

—Et certe perquam temerarius es qui cum scias patrem et avum et atavum mari perisise, navem conscendas?

—Fortasse est, inquit. Dicas autem mihi ubi mortuus est pater tuus?

—Placidus in lecto.

—Et avus, et atavus?

—Eodem modo dulcissime in lecto.

—Qua re, ergo, inquit nauta, adeo es temerarius ut cum scias patrem et avum et atavum in lecto mortuos, cubitum cotidie discedas?

Celso

RAIMUNDUS GOMEZ, C. M. F.

(1) Carmen quod in Universitate Barcinonensi praemio decoratum est.

Alumnorum scriptiones

REX ILLE CODRUS

Athenae, urbs litteris clarissima, dicitur, Codro regnante, locuplex fuisse atque pulcherrima.

Codrus vero cum aliquot annos regnasset, civium animos sibi conciliaverat.

Quodam die, ducibus coactis, cras, inquit, ante lucem, venatum ibimus.

Postero die, regium comitatum magnis itineribus venientem ad se viderunt.

—Domine, audi nos: magnus exercitus petit Athenas.

Codrus, ab equitibus ductus, in montem ascendit, unde Doriorum regem, magno exercitu Athenas petentem vidit.

Timore compulsus, duces congregat eosque statim regredi jubet. Ipse, manipulo hominum collecto, Delphos ut Apollinis oraculum consulat, proficiscitur.

—Si mortuus eris, Athenae urbs vincet.

Haec mente volvens, in urbem rediit. Paulo post, Doriorum regem Delphos petentem, multis stipatum militibus vidit. Proximum in lucum se abdidit, dum hostis transit. Domum regressus, coepit secum dicere: «Senex sum; si mortuus ero, patriam salvam faciam et in posterum egregius ero. Me vestibis induam Doricis et in hostium castra irruam».

Rex vero Doriorum, oraculo etiam consulto, eadem audivit: «Si Atheniensium rex mortuus erit, vinceris». His auditis castra petiit.

Paulo post, omnia in castris Doricis conquiescunt.


Media autem nocte, homo in castra irruit et cum, gladio districto, plurimos passim occideret, ingens oritur clamor, et miles ignotus multorum agredientium manu mortuus tandem apparet.

Postero die, orta luce, corpus hominis Dorii regi offerunt. Rex Codrum agnoscit, Atheniensium regem. Tunc in mentem oraculi verba veniunt. Maximo timore conterritus, statim castra moveri jubet.

Sic urbs Athenae a Codro rege salva est facta.


Celsonæ

JESUS URBIOLA, C. M. F.



His gladiis
confligere non
possumus,
sunt enim bre-
viores.

MELÉ, C. M. F.



Praeceptum factu facillimum Utinam leges canendo et sibillando adimplere possim!

Poloni putant Copernicum Polonum fuisse. Germani contra dicunt, et illum parentes Germanos habuisse confirmant. Cracoviae Poloni monumentum erexerunt in quo inscriptum legimus:

POPULUS POLONUS
COPERNICO FECIT

Cum vero civitas ab exercitu Germanorum occupata esset anno Domini millesimo nongentesimo tricesimo nono inscriptio populi «Poloni» protinus in «Germanicum» mutata est. Mox autem responsum ipsius Copernici legebatur juxta inscriptionem Germanicam:

«Propter vestram erga me benignitatem, quia me nationi Germanicae adscribere voluistis, hiemem duobus mensibus auxi». (Hiems quae secuta est longa et frigidissima fuit).

L. LATKOVSKI

- Quae dicis esse perlucida corpora?
- Quae lucem transmittunt et per ea videre possumus.
- Exemplum affer.
- Scholae fenestrae.

FORCANO, C. M. F.

Callidus haruspex

Aloisius XI, Gallorum rex, superstitione imbutus, de comissi proelii fortuna, quemdam haruspicem consuluit. «Vinceris», respondit haruspex. Tum rex, ira succensus, in vincula eum conjecit. Ibi autem haruspex, canens atque ridens vitam agitabat; sed rex cum de his certior factus esset, haruspicem, ut de laetitia rationem peteret, arcessivit.

«In astris legi, voce gravi respondit, te eodem die meae mortis moriturum esse».


Tunc Aloisius rex, metu perterritus, e vinculis haruspicem celeriter eduxit, de ejus infirma valetudine posthac curavit, exquisitosque cibos ad illum abundanter misit.

JESUS MAESTRO, C. M. F.

— Meministine illius hominis qui genuflexus ad templi portam stipem a populo emendicabat?

Memini.

- Statum vitae permutavit.
- Hereditatem ab aliquo accepit?
- Minime; nunc sedens petit.



- Parum subride, quaeso.
- Sed hoc jam decem minuta facio.

MISCENTES UTILE DULCI...

LEMMATA IMPERATORUM

Titus, filius *Vespasiani* Imperatoris Hierosolyma expugnavit, totamque urbem devastavit a. Ch. 70. Toto illo obsidionis tempore undecies centena Judaeorum milia in servitutum acti. Erat vir scientia, virtute et bello clarissimus. Obiit veneficio —ut creditur— *Domitiani* fratris, a Ch. 81.

Lemma: NON OPORTET QUEMQUAM A CONSPECTU PRINCIPIS TRISTEM DISCEDERE.

Domitianus, ob ingentia scelera universis exosus, tandem suorum conjuratione occisus est a. Ch. 98. Hic quidem Imperator non raro cubili suo se inclusit, et muscas parietibus forte insidentes acu aurea confixit. Unde cuidam percunctanti, quis esset intus apud Caesarem? argute responsum est: «Ne musca quidem».

Lemma ejus fuit: FALLAX BONUM REGNUM.

Nerva Coccejus, in senectute Imperator electus, debilitate, stomachi moritur a Ch. 100.

Hoc lemmate usus est: MENS BONA REGNUM POSSIDET.

Ulpianus Trojanus, qui communi omnium calculo *Optimus Princeps* vocabatur, ventris profluvio extinctus est a. Ch. 119. Equos cursorios — *postas* hodie vocant— per Romanas ditiones constituit. Litteras et litteratos viros impense fovens, scholas passim per Italiam aperuit, et 5060 juvenes ex toto Imperio selectos fecit erudiri.

Lemma sibi legit ejusmodi: QUALIS REX TALIS GREX.

PHILOSOPHIA PATRUM

7. Formosum refert stipes bene tonsus ephubum.

Afeitá un cepo, parecerá mancebo.

8. Atram me ex alba saevi fecere labores.

Duelos me hicieron negra que yo blanca era.

9. Donator síleat, donatus multa loquatur.


Calle el que dio y hable el que tomó.

10. Multa laborantem nullo ditescere sensu.

Afanar, afanar, y nunca medrar.

11. Audísti gallum, at nescís qua sede canentem.

Oíste al gallo cantar y no sabes en qué muladar.



—Quid fecisti ut istuc aeroplanum alle-
vares?

PAEDAGOGUS

AENIGMATA

—Cano professori, cui nomen erat *Hund* (canis) scripsit amicus quidam:

•De cane cane decane,
canis, De canis, cane
decane, cane.

Es canis atque canis
de canis, cane decane,
Quin cane de canis,
cave, decane *Canis*•

Kirchhofen. DR DOLD



•Si Pilatus pileatus

aër erit defaecatus•,

(*Pilatus est mons notus Helveticus,
qui incolis tempestatem indicat*).

■	TUS	NE	TU	■
MO	VIR	BE	PO	GI
A	RI	CO	NE	TE
■	SI	TES	TA	■

Si a secunda, puer, cellula incipiens modo
«equi latruncolorum ludii» salieris, quandam
leges sententiam.

XAVIER PERNA, C. M. F.

Celsoviae

DR. DOLD

19. — Quid addendo deminuitur et capiendo augetur?

• TASELLAE:

1	2	3	4	■	5	6	7	8	9	■
---	---	---	---	---	---	---	---	---	---	---

Ubi numerus par est, vocalis convenit. — In loco numeri imparis consonantem
scribe, et leges sententiam qua Romani passim adhibebantur.

L. LATKOVSKI.

SOLUTIONES (Cfr. PALAESTRA LATINA, a 1956, Fasc II, p. 121 127, 128)

AENIGMATA. — 17: nimirum in puteo. — 18: epistula.

SCALAE SUBLIMES: verba quae Domino «peregrino» discipuli dixerunt haec sunt:

Mane nobiscum, Domine, — quoniam advesperascit.

ABACUS VENEFICUS INTERPRETATUR:Aequum est.

Peccatis veniam poscentem reddere rursus.

Horatius.


PICTURAE SIC IN VERBA CONVERTUNTUR:

INTER-CE-DENS

PRAE-TER-ITUM

CIRCUM-VER-TER-E.

Curiosa et Jocosae





IN TRANSVERSUM. — a) Oppositum: duresco. b) Prodeo. Litte^ra. c) Cumba. Consonans. d) Consonans. Creverunt. e) Voras. Stia. f) Vivo. Ipsi^s g) Genetivus pronominis relativi. Profectus sum. h) Vultus. Politus.

IN PERPENDICULUM. — 1) Oppositum: duresco 2) Faciei. Quod alicut est. 3) Lineae. Pronomen personale. 4) Concinuus. Coniunctio. 5) Evexisse. 6) Consonans. In navibus. Litte^ra. 7) Consonans. Vesania (abl.). 8) Quodque. Ipsi^s.

GEORGIUS MARIMON, C. M. F.

Celsoⁿae.



— Hodie in ludo (schola) iurgium cum magistro suscepti.

De qua re?

— De fertis protrahendis.

RAPHAEL PÉREZ, C. M. F.

Celsoⁿae.

— Quidnam tibi in vultu factum est?

— Parum aquae inimicus in me project.

— Aquane vulneratus es?

— Project simul cum vase.

JACOBUS CABANÍ

In Sem. Min. Barcinonensi Alumnus



PISCATOR ET ERGASILUS

Ergasilus. Cur ad piscandum in hamo malum pontis?

Piscator. — Quia intro vermis est.

VICTORIANUS GARRIDO

In Sem. Min. Barcinonensi Alumnus



PICTURAS, PUER, IN VERBA CONVERTE, ET LEGE

BIBLIOGRAPHIA

J. FERRERES - A, MONDRIA, S. I. — *Epitome de Teologia Moral*. Subirana, Barcelona, 1955.

Epithome Theologiae Moralis quae a P. Joanne Ferreres, S. J., in lucem data est, in hac quarta editioe Hispanica novo ordine ac dispositione, praesertim in novissimis, ut ita dicam, quaestionibus exponendis, nobis a P. Alfridio Mondria S. I., offertur.

In hac editioe multae quaestiones quae olim scriptae erant lingua Latina, lingua Hispanica nunc traduntur ut rectius intellegantur ab his quorum, cum de rebus sapientissimis et oeconomicis agant — ut sunt caesidici, medici, pharmacopolae, cet. —, maxime interest principia Legis divinae naturalis et positivae, atque legis Ecclesiae et Rei Publicae penitus cognoscere.

Non dubito quin haec Epitome Theologiae Moralis maximi sit momenti et commodi etiam illis qui Sacrae Theologiae disciplinae student.

JACOBUS GARCIA, C. M. F.

J. COLOMBO - C. DE RIEZU, O. F. M. Cap. — *Predicación del Evangelio*. Editorial Litúrgica Española, Barcelona, 1955.

Hoc opus, quod ab ipso Dre. Joanne Colombo inscribitur «Pensieri sui Vangeli», est quidem ex nobilissimis operibus orationis sacrae hujus aetatis.

In eo tres praecipuae aestimantur virtutes: 1.^a) Simplicitas in sententiis exprimendis; 2.^a) cogitationes altiores quae, dum in mente legentis evolvuntur, intimos animi motus excitant; 3.^a) fabulae et collationes seu comparationes

quibus tota doctrinae virtus explicatur et continetur.

Evangelia uniuscujusque dominicae et nonnullorum dierum festorum Btae. Mariae Virginis et Sanctorum vel sex modis diversis exponuntur.

Enixe et studiose Dr. Colombo elaboravit in ponderosissimo doctrinae christianaе opere conscribendo, quod quidem optimos bonae vitae fructus sine dubio in dies producturum speramus.

JACOBUS GARCIA, C. M. F.

B LLORCA, S. I., — *Manual de Historia Eclesiástica*, 4.^a edición, Edit. Labor, Barcelona, 1955.

Haec quarta Historiae Ecclesiae editio eadem est ac tertia, paucis additis mutationibus quarum praecipuae sunt: a) Index quo continentur libri et lucubrationes superioribus annis in lucem editae; b) sedula investigatione anquiruntur majorum memoriae et monumenta quibus Btus. Jacobus Apostolum in Hispaniam advenisse traditur et Bta. Virgo a Columna eidem Apostolo apparuisse; c) quae vero nuper de Beati Petri Apostoli sepulchro reperta sunt, in ipso prologo summatim adduntur.

Non opus est ut hoc P. Bernardini Llorca opus laudibus persequamur, cum ejus fama nota sit omnibus — in primis in Collegiis et Seminariis Hispanicis et Americanis —, ejusque utilitas ad Historiam Ecclesiae cognoscendam et ediscendam plane sit experimento comprobata.

JACOBUS GARCIA, C. M. F.

Officina Libraria E. Heimeran

doctis viris ubicumque terrarum degentibus Classicorum Graecorum et Romanorum opera venalia proponit.

Totius corporis seu collectionis virtutes sunt: optima charta, nitidissimi typi, notulae et appendices quibus praecipuae explicantur res et verba; volumina linteo conteguntur suntque in primis manualia,

DIE ANTIKE URTEILE ÜBER DIE TUSCULUM-BÜCHER

zweisprachige Taschenausgaben antiker Autoren

(Cfr. PALAESTRA LATINA, fasc. 154, in operculis, 3.^a pag.)

XENOPHON, ANABASIS, Griechisch-deutsch, ed. Walter Müri, 504 S. 1955. Leinen DM 15.

ZWÖLFTAFELGESETZ (DAS), Lateinisch-deutsch. ed. Rud. Düll. 100 S. Verbess. 2. Aufl. 1953. Leinen DM 4.

HORATIUS FLACCUS, OPERA OMNIA, Text allein, ed. Hans Färber. 264 S. Leinen DM 5'50.

P. VERGILIUS MARO, AENEIS, Text allein, ed. Joannes Götte. 284 S. 1955. Leinen DM 5.

TUSCULUM-LEXICON, der griechischen und lateinischen Literatur vom Altertum bis zur Neuzeit. Unter Mitwirkung mehrerer Gelehrter. 284 S. 1948. Leinen DM 6'80

Ernst Heimeran Verlag München - Schwabing, Dietlindenstrasse 14

ALCAIOS. — *Griechisch und deutsch herausgegeben von Max Treu.* Ernst Heimeran Verlag in Muenchen. Tusculum Buecherel.

Litterarum Graecarum magistris hic perdocti viri M. Treu liber utilis solum aestimandus est, quippe qui in palaeographica scientia atque arte fere totus versatur. Valde mutilum ad nos usque venit opus Mitylenensis poëtae Alcaei, de quo hujus modi libelli ratio, insignem Bibliothecam «Tusculum» ornantis et locupletantis.

Duplicem in partem opus rite evoluitur: textum atque appendices. Reliquias novarum inventionum carminum Alcaei primum delibabis (pp. 6-21). Tum hymni (pp. 21-32); mythi (pp. 33-35); carmina bellica (pp. 36-56); de

exteris terris (pp. 57-62); de vino carmina (pp. 63-76); effata (pp. 77-78); biographica testimonia (pp. 79-91).

In altera vero appendicum parte erudite ab scriptore disseritur de «litteratura» (pp. 92-98); de poëta Alcaeo de ejusdemque litterario opere (pp. 99-123); de novis consectoriis majoris momenti (pp. 124-126); et consequuntur nonnullae paginae explicationum rerum in textu magis intricatarum (pp. 127-177). Index completus fragmentorum denique adhibetur in opere poëtico Alcaei (pp. 180-184). Volumen hoc eruditionis magnae, multumque in praeclaro professore M. Treu ingenium atque laborem ostendit, et Domui Editrici Heimeran laude in magna ponendum est.

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C M. F.